Ad Xtum pro morte beat.

Tu rege me, sano in corpore mentem:
Vivere da rectè, da benè Christe mori.
Protinus ex illâ quâ primum nascimur horâ
Progrediunt juncto vitaq; morsq; pede.

Sum Christiani Risii R. B.

Aō 1684. d. 2. Octobris.

B. HIERONYMUS.


Memento
- Peccati tui, ut doleas.
- Mortis tuæ, ut desinas.
- Divinæ justitiæ, ut timeas.
- Misericordiæ Dei, ne desperes.

V. CL.

IOANNIS CASELII OPERVM

Pars II.

QVA CONTINENTVR SCRIPTA EIVS QVAE AD artem dicendi pertinent.



FRANCOFVRTI

Sumptibus CONRADI EIFRIDI

ANNO M,DC.XXXIII.

Bien. F 11, 10 (b)

MAGNIFICO NOBILISSIMO ET amplissimo Viro,

DN. ARNOLDO ENGELBRECHT, POLITICO, IC.to ET ORATORI celeberrimo Seren.mi Ducis Brunsuicensis Consiliario intimo & Cancellario S.P.

EDIDI *proximo autumno, magnifice & nobilissime vir, primam partem scriptorum* IOAN. CASELI, *in quam præcipua eius opuscula politica conieceram. Nunc alteram partem fero, hoc est, duas insignes de arte dicendi lucubrationes: ita enim docere putaui, vt è vestigio illa sibi inter se succederent, quæ natura tam arctè coniunxisset. Nam vt ipsa ciuilis sapientia disciplinarum omnium post SS. Theologiam princeps est, quibus & ornatur &*

regitur vita mortalium: ita istius vicissim nobilissimum & cumprimis necessarium instrumentum est eloquentia; qua non minus illa reip. Argô moderatur, quàm nauem quamlibet celeusmate nauarchus. Quin tanta earum est cognatio, vt sæpe hæc personam illius etiam apud cultissimas gentes induerit, & iidem prudentia cæteris antecellere iudicati sint, qui dicendi facultate omnes post se reliquissent. Quod si autem paullò altiùs rem repetamus, non tantum cum ciuili, sed omni in vniuersum sapientia artem illam à maximo rerum omnium conditore indiuiduo ferè nexu copulatam esse liquebit, cum hominis naturam non ratione solum sed & oratione circumscripserit, eamque à natura reliquorum animantium discriminarit. Quò Græcos spectasse putem, quando vtramque vim vno nomine λόγου comprehenderunt. Nec iniuria quis dubitet, vtrum minus optabile in vita sit, insipiens oratio, an infans eruditio: vt enim nullius est pretii sermo mente cassus; ita nec vitam hominum iuuerit sapientia elinguis, cum neque communicari ista aliis, neque propagari & conseruari possit. Et quanquam in iis præcipuè eloquentia dominatur, quæ πρακτικὰ Græci dicunt, & in actione consi-

ſtunt: non tamen putandum eſt, in cæteris nullum ei locum relinqui. Quin quo abſtruſiora & obſcuriora iſta ſunt, & plus ſubtilitatis habent, eò accuratiori oratione exponenda ſunt, vt rerum ipſarum caliginem orationis perſpicuitas & euidentia vel pellat vel temperet. Vnde non tantum eos qui ciuili prudentia ſed & qui ſapientia reliquis mortalibus præſtarent, arte etiam dicendi excelluiſſe accepimus. Platonem Deum philoſophiæ vocauit antiquitas: idem autem tanta eloquentia erat, vt Mutæ ipſæ, ſi Græcè loqui vellent, Platonicè locuturæ perhiberentur. Maximus etiam Stagirites,

Qui genus humanum ingenio ſuperauit, & omnes
Præſtinxit, ſtellas exortus vt ætherius ſol,

ad id faſtigium in hac re peruenit, vt non tantum aureum flumen orationis M. Tullius ei tribuat, ſed & artem ipſam tribus libris tam exquiſitè perſecutus ſit, vt nihil in eo genere perfectius à quoquam traditum eſſe omnes dicendi artifices vltrò agnoſcant. Præceptorem porrò ita æquauit diſcipulus eius & in ſchola ſucceſſor, vt cum is Tyrtamus antea apellaretur, ipſe propter admirabilem facundiam nomen Theo-

phrast ei imposuerit, quod & altero abolito postea semper remansit. Nec alia de caussa Themistius, præclarus Peripateticus, cognomentum τοῦ εὐφραδοῦς *adeptus est. Longum foret, si omnes hîc recensere velim, qui eodem exemplo accuratam dicendi & scribendi facultatem cum philosophia coniunxerunt. Nunc eos allatos esse sufficiat, qui pauci omnium instar esse possunt. Verùm enim verò nec sæcularis tantum sapientiæ principes id fecisse, sed idem institutum etiã cœlestis doctrinæ antistites secutos esse videmus, etsi enim summum Numen Apostolos ipsos diuina potius sapientia & virtute armatos, quam humana eloquentia instructos esse voluit, tum vt sapientiam huius mundi infatuaret, tum ne crux Christi inanis redderetur;* οὐ γὰρ ἀπέστειλέ με Χριστός, *inquit Paullus,* ἐν σοφίᾳ λόγου, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ, *& rursus:* ὁ λόγος μου, καὶ κήρυγμά μου, οὐκ ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως; *vnde alibi se* ἰδιώτην τῷ λόγῳ *appellat: nihilominus tamen eadem illa* θεώδοτος *sapientia omnium linguarum peritia exornata fuit, vt eò facilius thesauri illius per gentes omnes diffunderentur. Et ipse Spiritus sanctus in Apostolorum Actis Apollon A-*

lexan-

lexandrinum, virum apostolicum, & Paulli συνεργὸν, *non tantum à Scripturarum scientia, sed & eloquentia commendat.* Ἰουδαῖός τις, φησὶν, Ἀπόλλως ὀνόματι, Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει, ἀνὴρ λόγιος, κατήντησεν εἰς Ἔφεσον, δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, Iudæus quidam, *inquit*, Apollos nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, peruenit Ephesum, potens in scripturis. *Quare eandem facultatem postea quoque tam in orientali quàm occidentali Ecclesia egregii quique doctores mirificè excoluerunt: ecquid enim eloquentius est magno Basilio aut Gregorio Theologo, imò ecquis apud ipsos gentiles* Χρυσοῦν *illud* στόμα *Ioannis archiepiscopi Constantinopolitani superauit? quid disertius item Tertulliano, quum curam adhibere libuerit, quid Cypriano & Lactantio, vt reliquos nunc prætermittam? Tot & tantos duces sequuntur, qui ita tam nostræ quam externæ illius sapientiæ studia colunt, vt eloquentiam vtrisque iungant, etiamsi ad remp. accedere non cogitent: nam quibus hoc etiam in animo est, eos tam nobili arte prorsus carere non posse certius equidem esse existimo, quam vt demonstrari indigeat. Dici autem non potest, quantum omnibus illis ad eam rem feliciter suscipiendam & perficiendam*

ciendam contulerit duobus, quæ nunc edimus, opusculis CASELIVS (*nam plura non cõfecit, etsi promiserat*) *quorum vno magistrum dicendi depingit, quis & qualis esse debeat, quem tutò in hac disciplina secteris, altero doctrinam de elocutione tam præclare exposuit, vt quid præclarius eo fieri poßit nesciam. Certè aureum est vtrumque, & maximè posterius, imò hoc etiam, vt veteris poëtæ verbo vtar,* τοῦ Χρυσοῦ Χρυσότερον. *Tibi autem, magnifice & nobilißime Dn. Cancellarie, inscribere hanc partem volui, multis ad id caußis impulsus. Et primò quidem non solum ciuili sapientia sed & eloquentia ita ipse excellis, vt paucos in Germania similes habeas, superiorem fortè neminem. Altero autẽ loco illud pono quod ex huius ipsius artificis officina cum multis aliis prodieris, quo nomine etiam* τὰ πολιτικὰ *ad te viam affectabant, Sed cum illa, vt horum operum* ἀκροθίνια, *ipsi Patri patriæ deberentur, Eccui hæc altera pars consecrari rectius, poterat, quã Tibi, qui secundum ab eo locum tenes & tot iam annis in tantis tempestatibus clauum reip. regis? Hac accedit insignis in accademiam nostram animi Tui propensio, vt meritò Te in oculis omnes feramus. Sed nolo hoc argumentum plu-*

ribus

ribus persequi aut Te ad Te ipsum prædicando in pudorem Tuum incurrere. Tantum rogo, vt hoc, cuicuimodi est, meæ in Te obseruantiæ publicum testimonium oratum habeas, & nos, si merebimur, amare pergas, Ita viue, vir maxime, & quam optime vale,

Σοὶ ἢ θεὸς ὀπάσειεν, ὅσ' εὐσεβέεσιν ὀπάζει.
Ἄλλα τε, καὶ λιπαροῦ γήραος ἀντιάσαι.

Helmæstadi VI. Kal. Decembr.
M.DC.XXXI.

Magnif. & nobilissimæ
dignit. T.

Cls.mus.

CONR. HORNEIVS.

Ad

Ad R.mum & ill.mum principem,

DN. HENRICVM IVLIVM, DVCEM BRVNSVIG. ET Lunæburg.

IOAN. CASELII

PROOEMIVM.

SI, quemadmodum non mole, sed bonitate gemmæ, ita libri ęstimarentur, multi pręgrandes, aut lucem adspicere non auderent, aut quasi quidam fumi Alpium instar in cœlum sublati, leui vento dissipantur, ita & illi ex conspectu omnium subito euanescerent. Plærique profecto sic occidunt. Quotus verò quisque lectorem inuenit? Inuitati speciosis inscriptionibus, tanquam ad animi epulas, accurrimus: quibus vis odoratus integrior est, ipsa graueolentia a-uertun-

uertuntur ſtatim: ſi labra admoueamus, auerſamur, vt marcida, non dicam acerba vel amara, quibus interdũ locus eſt. Eſt autem ſpes nominis, quæ vanas naturas ad labores inanes ſcribendi excitat, qui cum nullum tempus doctoribus tribuiſſent, ſua deliramenta & ſomnia, vt quodque ſe menti obiicit, chartis illinunt, aut ex variis ſcriptoribus nullo ordine, ſine iudicio, vera, falſa, culta, ſordida, propria, aliena, comportant, quaſi nouum quiſque montem teſtaceum ante pedes exſtruunt: niſi chaë potius dicenda ſint. Nec tamen ita aut inuidus ſum, aut faſtidioſus, vt negem, aliquando prodire, quod vetuſtatẽ ſiue ſapientiam ſapiat: fuiſſe ſcio, qui cum etiam fontes ſcientię poſſiderent, nihil maluerint ſcribere: quod etſi & ego hac ætate rectius iudico, tamen ad ſcribendum quoque abreptus olim, interea ex aliis omni vita diſcere nunquam deſii, & eorum, quæ accepiſſem ab optimis, quædam litteris conſignaui. In hoc autem ita me ſemper geſſi, vt & neminem læſerim, niſi inſcitiam: ac ne inſcitiæ patronos quidem, ni ipſi ita exiſtiment: & ſtudia in-

dia iuuentutis, quod in me fuit, consilio, & opera, recta via ad verum finem direxerim. Qua de re nihil gloriosè dicam: in instituto tamen citra reprehensionē ambitiosè, omnique contentione perseuerabo. De pluribus necessariis quædam litteris consignare decreui, quæ etsi fortè nec omnia, nec vt dignitas rei postulat, perficere potero: tamen rem litterariam, quam ab aliis supinè negligi, ab aliis improbè labefactari animaduerterim, meo loco fulciam, & cùm in academia tua Iulia, tum alibi, si qui mea legere dignabuntur, nōnihil proficiam: & me plusculum præstitisse amici prædicant, nec maleuolentia fortè neget. In eo genere mearum lucubrationum est & hoc pusillum de magistro dicendi opusculum: quo non equidem pingo rhetora, qui nusquam sit, vt imperitiores iudicabunt, sed cuiusmodi, etiamsi inuenire multis difficile sit, mihi, vt eius negotii intelligenti, aut inuenire aut informare, non difficillimum. Valet namque & hic, quod magnificè scriptum in tragœdia reliquit Sophocles: id deprehendi posse, quod inuestigetur: elabi, de quo curam

curam nemo suscipiat: *τὸ ζητούμενον, inquit* ἁλωτόν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον. Quod si hoc consilio vtamur in muneribus academicis tribuendis; habebimus scholas non paulo florentiores, si non frequentia, de qua primo loco solicitum esse non oportet, sed bonitate: id est, iuuentute cum virtutis, tum bonarum disciplinarũ reipsa studiosa: qui educẽtur saluti dignitatiq; publicæ. Sin eius generis consilia repudientur aut negligantur, nihil mirũ, si nullo aut perexiguo cũ fructu, & sępè cũ malo magno tam publico quàm suo, adolescẽtia frequẽtet academias: quod olim ipsi & querantur & doleant. Volui autem hoc, quodcunque est, vt pleraque mea cætera, apparere sub inclyto tuo nomine. Tibi enim & academia se ipsa debet, & quæ ad eam perficiendam exornandamq; faciunt, debentur omnia, eiusdem secundo fundatori, & conseruatori perpetuo: quæ, vt nauclero, grata esse non dubito, vel quòd vtilitati publicę destinata, vel quòd mea initiò de aliorum, deinceps etiam de tuo iudicio, esse aliquid, credidisti: nec minus tamen, vt sint, etiam atq; etiam rogo. Probi enim

& hoc

&hoc moris eſt, ſiue potius pietatis, vt omni animi cultu principes patriæ proſequamur: quod cum omnes deceat, tum maximè eos, qui id præ cæteris intelligunt: me magis, quem perpetua beneuolentia ſemper fuiſti complexus, & ſingularibus beneficiis tibi deuinctum eſſe voluiſti: in quorum ego primis habeo, quòd locum mihi in academia Iulia tribuiſti. Pro tanto beneficio tibi hoc me debere gratiæ profiteor, vt munus mihi creditum omni ratione tuear. in quo ſtudium meum neque antè paſſus fui, neque deinceps deſiderari patiar. Vale. Helmęſtadio ex acad. Iul. Kalend. Mart. cIↃ IↃ VC.

ARTIS

ARTIS DICENDI STVDIOSIS ADOLESCENTIBVS IN ACAD. IVL.

De doctrina & virtute Hardeuici Smidestedii audietis propediem vnum de collegis, qui multis annis ex quotidiana eius consuetudine ipsum intimè cognouerat: & ipse hominis pereruditi multisnominibus mihi cari, animi dotes, quo loco commodius videbitur, absq; inuidia prędicabo. Is quoniam ante mensem in patria rebus humanis exemptus est, meę nunc partes cumprimis sunt, videre, ne eloquentię studium prorsus iaceat. Namq; & hoc ab initio in me suscepi, vt qui primo loco disciplinam politicam docerem, de arte etiam dicendi è veteribus magistris deprompta quędam traderem. Neque hoc prorsus à me neglectum fuit: iam quando opera mea magis requiritur, siue potius flagitatur, elementa artis integrę docebo, quâ fide & diligentia nos facere par est: nec studiosis dicendi singulis deero, si qui consilium meum requirent. Refert non parum, quomodo vnusquisque, quę omnibus proponuntur, iis sibi vtatur. Est enim ingeniorum diuersitas: alia aliis ętas profectus, animus, finis. Nec deero vniuersis, quando ita opus esse video: iamque in vsus vestros tria ξυγγράμματα meditatus, primum eorum perfeci. Is ΡΗΤΩΡ est: siue quibus artibus magistrum dicendi eruditum esse oporteat. Sequetur ΦΙΛΟΡΡΗΤΩΡ: in quo studiosę iuuentuti ostendam, quemadmodum à carceribus per directū spacium ad metam eloquentię perueniant. Tertius erit ΕΡΜΗΝΕΥΣ, siue de recta ratione interpretandi, & cum certo fructu legendi bonos scriptores: quando eos nouo quodam & perinepto studio obscurar

scurar

ſcurari magis, quàm illuſtrari à multis intelligo. Æquum erat, vt minus docti in his rebus noſtram auctoritatem ſequerentur, & nos conſulerent, cum ipſi, tum adoleſcentes. Sed cum ex illis nonnulli falſæ doctrinæ perſuaſione inflati, & priſcos ſapientes, & nos, qui eorum veſtigiis religiosè inſiſtimus, ludibrio habeant, & pueri præiudiciis illorum infeci opera imbuti, ad nos plerique veniant, idcirca nos in arenam deſcendere & cum laruis inſcitiæ luctari oportet, vt vos & poſteritatem, quantum in nobis eſt, & pati poteſtis ab ingruente barbarie ſub imperium veritatis vindicemus. Niſi autem ad reipub. ſalutem pertinere iudicarem, profectò hac ætate tantum laborem mihi ſubeundum non putarem, vt nihil dicam de odiis & calumniis, quæ parata ſunt de aliis bene merentibus: atq; illud ſuo loco demonſtratum à me fuit non rarò, & denuo demonſtrabitur, quoties opus eſſe animaduertam. Foret autem è re veſtra, & eſſet omnino negotium facilius, ſi nobis permitteretur de litteris & philoſophia iudicium, qui in iis omnem ætatem viximus, nec alii doctis ſuffragia præriperent, viri in ſuo quiſque diſciplinæ genere, forte, nec enim nego, verſati, memores dicti, quod Apelles edidit, cum ſutoris cenſuram de crepida non iniquo animo ferret, ſed grato prorſus acciperet. Qui de quacunque parte litterarum non |è ſcientia,| ſed ex opinione ſua iudicant, valde errant: qui ſibi inſcitiæ conſcii, tamen inſcitiæ adſtipulantur & tam iniquæ cauſſæ patrocinium ſuſcipiunt, non ratione, quî enim? ſed contentione & vi, vt ipſi, exemplo veterum ſophiſtarum, in parte tyrannidis litterariæ hæreant; eorum nemo, nec viri boni apud viros bonos, nec docti nomen in prætorio ſapientiæ tueri poterit. De eloquentia autem me recte audietis, & tuto veſtroque cum fructu ſequemini. Non enim vos vana ſpe lactabo, nec ſpectrum pro re ipſa vobis offeram: ſed de laboribus, quos exhauriatis, verba faciam, & quemadmodum illos toleretis, docebo. Valete. P. P. Helmſtadii in ac. Iul. Non. Septembr.

cIↄ Iↄ vc.

IOAN. CASELII
ΡΗΤΩΡ
SIVE
DE MAGISTRO DICENDI.

CAPVT I.

Quo proœmium continetur.

PROFECTVS in patriam fuerat, vacationum diebus, Hardeuicus, vir disertus, qui plures annos apud nos artem dicendi diligenter, nec vulgari modo docuerat. Id ille iter de more, non tam animi, quàm valetudinis gratia, susceperat: in grauescentem enim viri ætatem alius ex alio morbus, ex breuibus interuallis tentabat. Quo tempore reditus eius appropinquabat, non quidem decubuisse, sed repente exstinctum cognouimus. Eo amici & collegæ casu mirè affectus fui, & grauiter conturbatus; credo item alii, vt est ab homine non alienum ac præterea humanitatis nostræ. Tamen ratus, nihil eiusmodi in animum ita profundè debere admitti, vt cursum officii impediat aut retardet, vel infringat minuatúe cogitationem de vtilitate publica; ne quid in hac parte iu-

uentus eloquentiæ studiosa desideraret, statim consilium cepi de quibusdam publicè tradendis, quæ ad eam rem potissimum pertinere iudicarem: idq; amicis facilè probaui & à nemine cum causa reprehendi posse intelligo. Quã enim mihi disciplinam potissimùm sumpsi, nec tam aliorum suasu, & vix aliquo tamen dehortante, (nam si quis me ab ea deterrere visus fuit, eum non audiendum censui, cum confirmaret à melioribus) sed natura quasi ducente amaui, & quantum per tenuitatem ingenij diligentia mediocri potui, excolui; eandem publica auctoritate primùm in academia Rostochiensi, omni fide, & quanto maximo studio, docui, & si non solus, certe primo loco propagaui (quod cum nec ita magnum sit, vere dictum, arroganter dictum videri non debet) eam, inquam, studiorum sapientiæ partem, quę aliud ab actione, aliud à ciuili societate nomen habet, cuius appendix, siue instrumentum est dicendi facultas, ita vt vel ab ea separari non debeat, vel certe illa hac carere nullo modo possit. Easdẽ hic mihi partes imposuit sapientissimus item princeps, HENRICVS IVLIVS, easq; sextum iam annum, tum docens, tum scribens, tum consulens sustineo, si quis aut me audire, aut me a legere, aut meam sententiam exquirere voluit: familiares enim fortè inuitare possumus, cogere neminem possumus, nec fortasse debemus. Fuere tamen, qui ob mediocrem profectum mihi gratias agerent; & fuerant antè, qui retulerint. Ideò tantum dico, vt à tam nobili instituto,

tuto, quod nec subitos honores, nec amplas diuitias; sed multò ampliora & in publicam salutem redundantia, pollicetur, adolescentes, fortunati pręsertim, nec seruientes necessitati, (horum enim est alia ratio, & iis ignosci debere videatur, quandó suis compendiis consulunt) amoueri se nequáquam patiantur per eos, qui hanc sapientiam quòd non attigerunt, despectui arroganter habét & malitiosè calumniantur. Hoc autem loco ferè perpetuus fui in iis explicandis, quæ ad vitam, & mores, & ciuilem societatem rectè constituendam, vel tuendam, vel emendandam pertinent: primum enim hoc, & maximum. Est enim politica architectonica, cæterarum omnium & princeps & magistra. Quo verbo veteres vsi fuere, cum aliud non inuenirent; quo notentur quæ ea comprehendit constituit & conseruat; videlicet, quodammodo omnia quæ ad societatem ciuilem benè beateque degendam pertinent. Non enim eloquentia sua vi, vt quibusdam visum fuit aut loqui placuit, sed politica, eloquentiæ opera siue ministerio, homines in vnum cœtum colligit, vrbis pomœria designat, ordines in repub. distribuit, magistratus constituit, artes finibus suis determinat, leges ęquas & idoneas, atque hoc nomine salutares pręscribit, educationi ciuium consulit, omnia vitæ necessaria dispicit, nec eius ornamenta negligit: & ipsa ciuitatem aduersus hostiles impetus armis & consiliis munit, neque non rei militaris primam curam gerit, & imperatoriam denique, &

quæcunque sub ea continentur, in potestate respectuque suo habet & gubernat. Qui igitur hæc, aut quæ in his sunt præcipua, vel alicuius momenti, tractat: nec ipsa tamen & huius generis cætera, in sola doctrina posita sunt: errat enim & se multum ille fallit, qui disputandi acumine ea absolui credit, sed à natura primos ortus, à longo vsu perfectionem habent: doctrina tamen eorum partim & rectius & maturius, insinuantur, partim cum mirificè illa omnia confirmantur, tum incredibiliter augentur. Qui illa, inquam, tractat, hoc est, ad vitam tum intelligendam, tum rectè degendam, ad humanitatem, ad amorem patriæ, ad rempub. capessendã aliquos informat; quin ea opera facilè secundo loco, (primi enim non iniuria sunt & summi, qui rebus gerendis in procuratione salutis publicæ perpetuò occupantur) de genere mortalium præclarè mereatur, dubitare nemo potest. Hoc igitur, quod maius & prius, potissimum mei muneris dixi: nec alterum idcirco extenuare videri debeam; nec equidem in paruis habeo. Magnum enim profectò; nec refert, quàm longo interuallo ita nominetur, & vultu habituque prioris ita simile est, vt multis illud ipsum esse, falsò tamen visum fuerit: nec idcirco dicèndi rectam viam iuuentuti ostendere paruũ quis & contemnendũ dixerit, nedum ipse ita sentiã. Si quis enim gesturo remp. studii aliquid in hac arte ponendum non censeat; equitem fræno, militem armis, gubernatorem clauo spoliare videatur: non minus enim

necessa-

necessaria est dicendi facultas senatori siue politico. Nec verò solum eloquentia opus est, vt si quid sit boni consilii, siue ad vnum, siue ad paucos disertè explices, sed etiã vt multis idem persuadeas. Semper enim tutius est, & in omnibus negotiis pace belloue expediendis accommodatius, quod idem humanitatis & hominum naturæ conuenientius, ratione res suas dirigere & constituere, quàm violentia. Nec est qui ignoret, quantus sit orationis vsus in foro, ad caussas iudicibus exponendas, quod est frequentissimum dicendi genus. Alterius nobilioris multò, adeoq; primi, rarior hodie vsus, neque tamen nullus, vbi exempla vitæ & consiliorum in vtramque partem concioni exponenda sunt. In tertio, cum siue res siue homines laude adficiuntur, vel vituperatione, etsi de oratoris dignitate agi videtur, censuram auditorum suo maximo periculo subeuntis, tamen & à vitiis omnique improbitate deterrentur, & ad honeste agendum inflammantur siue incitantur, vt neque hoc genus dicendi in repub. omittendum videatur. Quod autem ipse hisce annis inter docendum è Græcis rhetoribus nõ nisi pauca delibaui, satis me vestræ exspectationi & officio meo fecisse iudico. Etenim vobis in hoc spatio collega noster minime deerat, vt qui perpetuus in eo esset. Siue enim præcepta dicendi tradebat, siue luculentam orationem explicabat, vt, qui huic arti incumberent, quod arte perfectum esset, imitari possent: quod absque ratione siue regula alius stulte & fere fru-

ſtra conaretur: nec non eum ſæpius ex editiore loco cum laude orantem frequentes audiuiſtis. Nunc ab ipſius inſtituto non diuerſum, ſed à meo veteri conſilio aliud cepi, ne ſtudioſi dicendi quid in hac parte apud nos deſiderarent. In academiis enim, quemadmodum animi informatio ante omnia perpetuò vrgeri, ita ſecundo loco ſermonis cultura, nullo tempore omitti debet. Solida igitur quędam dicendi elementa, & breuius & plenius proponam. Neque enim ita vtar breuitate, vt neceſſaria prætercam: & explicabo præterea vberius, quæ ſuccincte proponam: denique, quæ, quo ordine, & ex quibus magiſtris dicendi quæque petatis, fideliter indicabo. Fieri enim neutiquam poteſt, vt omnia pertractemus, præſertim cum hæ operæ certo tempore mihi definiendæ videantur: & neceſſe eſt auditorem, non ſolùm quæ magiſter docuerit, meminiſſe, ſed etiam quæ iuſſerit, ſequi, perſcrutantem artis doctorum præcepta, legentem, contemplantemque orationes præſtantium oratorum, ſe denique exercentem in leuioribus negotiis, quemadmodum ab illo præmonſtratum fuerit, donec grauioribus par ſit.

Cap. II.

Quibus adjumentis magiſter dicendi indigeat.

SED quæ veſtræ in hoc ſtudio partes ſint, ex me deinceps quotidiè audietis, nec non vobis ea de re PHILORRHETORA breui dabo: in

bo: in præſentia dicam, cuiuſmodi eſſe magiſtrum dicendi oporteat. Id vos ſcire vobis non minus expedit, ne quis veſtrum ſibi ducem deligat ignarum viæ. Fieri enim non poteſt, quin, qui in errore vagetur ipſe, neſciens, vbi oriatur ſol, vbi occidat, vt eſt apud Græcum poëtam, comitem ſiue viatorem ſecum in eundem errorem inducat. Itaque hic nunquam veniat, idque illius vitio & inertia, quô apud animum conſtituerat. Ac primùm, artium magiſtri improbi multa alijs pollicentur, & vias profitentur planas & breues, ſiue vt rem faciant, ſiue vt ad vulgus in precio ſint, vel inſcitia opera ſua jactant ad imperitos: atque hi ſæpè diſcipulorum greges, vt pecudum, ducunt, quibus facile perſuadent, non de ſe, in quo jam vicerant, ſed de illis ipſis, eos in primo dum tirocinio artem intelligere, artifices jam æquare, aut ſimilia artificum facere, aut progreſſus feciſſe miros, idque nullo negotio, nec ita multis diebus. Inſanus autem ille amor, quo quiſque ſe ſupra omnem modum contràque rationem complectitur, facit, vt noſtras laudes, ſiue ab adulatione confictas, ſiue à ſtultitia profectas, arrectis auribus auidè hauriamus, ſimulq; in intima præcordia dimittamus, ipſiq; nobis juremus, nihil potuiſſe prædicari de nobis verius, & præcones illos, quamuis minimè inuidos, & ſatis diſertos, tamen non niſi virtutum noſtrarum vmbras ſectatos, ipſas virtutes nequaquam oratione potuiſſe aſſequi, vt nouos etiam earum illuſtratores præ hac inſania, quam non

abſque ratione Plato grauiſſimè accuſat, interdum deſideremus. Quod cum adultis eueniat non paucis, quid putemus fieri iuuentuti, quæ iam ſuapte natura magnos ſpiritus gerit? Sed hæc relinquam, ne promiſſi oblitus videar; ad ipſum negotium veniam; quæ ad cuiuſque artis perceptionem flagitantur, non niſi attingam; pertractabo quæ huc propriè pertinere intelligam. Ad vnamquamque enim eximiarum atque etiam mediocrium artium parandam multa opus ſunt, ingenium, animus, ſtudium, ætas, tempus, impenſa, valetudo, magiſter, & ſi qua horum ſimilia vel cum his coniuncta. Quid enim natura aduerſante geras? minus, quàm ſi aduerſo alueo nates; quod qui temere tentet, nec viribus, nec arte, nec vſu fretus, operam primum ille ludit, & poſtmodo laſſus, brachijs cruribuſq; demiſſis, abreptus vortice, demergitur. Id & in omnibus alijs, & in omni genere litterarum ita ſe habet. Igitur ſi non eximia, mediocri ſaltem natura ſit, illius certa, huius ſpes aliqua eſt. Quid proficias præterea, niſi & valde velis quod agis & in eo non ſegniter labores? Quid aliena ætate? Vbi enim certis ſtudijs debita effluxerit, reliquam in illis operam fruſtra ponimus vt plurimum. Nam ſi ad laborem quaſi quædam ingenij diuinitas accedat, tum aliquid præter conſuetudinem quoque naſcitur ſingulare & diuinum. De tempore item & ſumptu nemo dubitat, quin illo iuſto opus ſit, hoc aliquo, ſiue de tuo depromas, ſiue aliunde habeas, & hoc ſiue opera

aliqua

aliqua tua, siue cuiusquam munificentia. Cui autem valetudo tenuis, ei de vita primùm cogitandum, ne, dum aliud appetit, amittat ipse se: sed tamen illius tuendæ ratio videri potest, nisi deplorata sit. Denique qui se absque duce artem aliquam adeptos gloriantur audimus multos, sed ijs tum res ipsa, tum ratio comunisuè hominum natura fidem derogat. Aut enim non sunt ij, quos se esse somniant, aut habuerunt indices, si non duces viæ, quorum opera aut consilio vel excellentiam adepti sint, vel profecerint quantum omninò profecerint. Eos autem infitiari, non solùm mendacis est, sed & ingrati. Poëtas exstitisse non nisi adflatu quodam diuino ipsis credere forte possumus, quod gloriatur cum primis Hesiodus: & eorum Pindarus de se in eandem sententiam supra modum magnificè nec sine caussa loquitur. Nos autem sine magistris, quicquid conabimur, siue in alijs, siue in hac dicendi arte, operam ludemus: nec ita multo post, cum laboris impensi nos pœnitebit, si ad rem peruentum sit, deridiculo erimus ingeniosis pueris, vel primis tironibus. Idem adeoque multò magis ijs euenire necessum est, qui ineptis magistris vsi fuerunt, quanto peius est deteriore in quacunque re magistro, quàm nullo fuisse vsum. Proponam igitur vobis hic, non pseudodidascalon, hoc est, eum qui nomen magistri dicendi adeptus, nec ipse tamen magistrum dicendi, nec oratorem viderit, vel audierit, vel legerit. Absque iis, quæ dixi, adminiculis plerisque mediocribus (quod

illa, &

illa, & ſimul omnia & eximia, raró cuiquam obueniunt, aut minus integra in perpetuum conſeruantur) nemo vnquam exſtitit nec orator neque magiſter dicendi neque in vlla arte præſtans. Qui, quòd illis, quæ recenſui, minus abundat, animo propterea angitur, aut nonnihil diuitioribus inuidet; is cum litem naturæ temerè intendat, nihilo meliorem conditionem ſuam facit. Quæ quis benignitate Dei poſſidet, quantula illa ſint, boni conſulat, & in quàm optimos poteſt vſus ipſe conuertat.

CAP. III.

Ante omnia ei ſermonis Latini & Græci peritiam neceſſariam eſſe.

ILLIS igitur adiumentis, partim à natura, partim à ſemet, partim ab aliis inſtructus, qui ad eloquentiæ magiſterium adſpiret, vt vtrumque ſermonem cognitum habeat, neceſſarium cenſeo. In prouerbium abiere duæ arculæ auari Simonidis: diuerſæ ſunt ab iis duæ arculę muſarum, multoque nobiliores, de quibus litterarum cultores videre iubeo. De Latino vel populus intelligit; de Græco adſeuerant omnes docti, diſſentiente nemine: quin exſtitere, qui progreſſi in rerum ſcientia, cum ſe Græca lingua carere abſq; iactura veritatis in pleriſq; dubitationibus non poſſe animaduerterent, eam tantum non vi & pertinacia, ætate ab eiuſmodi genere ſtudii alieniore, omnem hauſerint. Sed Græcam linguam commendare modò mihi propoſitum non eſt, quam per me proiiciat licet, qui

cet, qui ſcire minimum laboret, aut in nulla ſcientia ſibi ſatis conſtare malit. Cum autem iuuentuti perſuaſum velim, Gręcum ſermonem nobis quàm maximè eſſe neceſſarium, ſimul finis meminiſſe volui, vt conſtet, quantum quis operæ rectè impendat huic ſtudio, ne eo in re neceſſaria nimio ſiue perpetuo maximè neceſſariis & primùm potiſſimumque propoſitis excidant. Id autem in multis rebus accidit, vt in minimis vel inhæreant ipſi, vel ab aliis detineantur, qua ætate ad grauiora ſiue ad finem initio deſtinatum eſſet tranſeundum. Suo enim tempore & hîc quodque fieri oportet, non minus quàm in colendis agris aliud à rationi, aliud ſationi, ſed cuique certum tèmpus tribuitur, vt meſſem maturè facias: ſiue vt qui eſſe aliquis olim in re militari velit, nec ſemper erit in palæſtra, nec ſemper erit in tirocinio, ſed aliquando tranſibit ad veteranos, vt tandem munus honeſtum in exercitu gerat. Illius autem modi talis mihi eſſe videatur ratio, ac ſi quis de longinquo itinere cogitans, in omnibus ad id ſuſcipiendum neceſſariis occupetur, domi tamen in perpetuum ipſe deſideat. Romani olim à pueris Græcè diſcebant, tùm propter litteras ſiue diſciplinas Græcas, quibus ſe parabant ad rempub., tum quòd cum nulla gente tantum erat commercii, quantum cum Græcis hominibus. Illi igitur in perdiſcenda perpoliendaque ea lingua non ſine cauſſa laborabant. Quin & pluribus pòſt ſæculis, & quandiu Græci ſermonis in Græcia aliiſque nationibus vulgò vſus

fuit,

fuit, ad finem vſque imperii Byzantini, in imperio occidentis Græcam linguam negligi non oportuit, vt eſſent inter Chriſtianas gentes tuta commercia & aduerſus communes hoſtes fœdera ferirentur. Eius rei gratia Carolus Magnus, fortiſſimus idemque ſapientiſſimus imperator, non dubito, quin paſſim in ſuo imperio, ſed & Oſnaburgæ doceri iuſſit Græcas litteras, & ad omnem poſteritatem propagari, conſtituto ibi ampliſſimo ſacerdotum collegio, vnde & oratores, quoties in maximis negotiis legatio mittenda eſſet, ſumerentur, vt ipſum diploma docet, cuius partem Ertuinus in chronica retulit, vt de hac cura liquidò poſteris conſtaret. Neque non reſpexit imperator ad optimarum artium conſeruationem, quas contineri Græcis potiſſimum monumentis non ignorabat. Euerſis deinde funditus rebus Græcis, ſublata fuit prior cauſſa, manet altera, quam grauem iudicarunt veramque ſemper Italia, Gallia, Germania. Namque à centum quinquaginta fere annis nobiliſſimæ orbis vniuerſi nationes in Græcæ linguæ ſtudium maiore omninò ſtudio incubuerunt, quàm vnquam antea, niſi quod olim Italia id egit impenſiſſime, vt ſuprà indicaui. Præterea vt minore negotio, maiore felicitate, Græcas diſciplinas & elegantiam vitæ ad nos transferremus, fuerunt Græcorum monumentorum artis typographicæ beneficio deſcripta exempla, quot millia omnibus ſæculis ab omnibus librariis ſcripta fuiſſe neſcio an quis poſſit ſuſpicari, nedum au-

ſit

ſit affirmare: de iis ſcriptoribus, qui hodie extant, loquor, & exprimuntur hodiè, vtinam Aldina diligentia & conſtantia. Sed non deſint typographi, ſi nobis in docendo diſcendoque conſtaremus, vt ab auis noſtris factum fuit. Nec facillima res eſt, nec difficillima, nec cuius operæ quem vnquam pœnituit, niſi qui eam abiecerit, aut in non ſuum finem contulerit. Pænitere enim eum neceſſe eſt, qui non perficiat, quod inſtituit, aut non vtatur eo quod ſibi labore comparauit. Græcè autem quis minore negotio intelliget, quàm loquatur, aut etiam ſcribat. Illud omnibus neceſſarium, qui ipſi audire malunt veteres ſapientes, quàm cum iis per interpretem agere, nec ſemper doctum & aliquando vel ſupinum vel dubiæ fidei; hoc ne opus quidem, quod nec periculo vacare cenſebit, qui exiſtimationis ſuæ rationem habeat, cum nihil ſit difficilius, in qua lingua ſemper ſumus hoſpites: quin diſertum eſſe in materna non iniuria difficile iudicatur, quod ſtudium & magnæ operæ eſt, nec parui temporis. Proindè qui & falsò præ ſe ferunt tantam vtriuſque ſermonis peritiam, & qui quaſi quoſdam Græcos ingenii partus enituntur, vtroſque rideo; ſed alios magis, qui adoleſcentiam in eo exercent, quod ipſi ignorant: nec tamen non magnifacio, quæ ea lingua litteris prodiderunt, Budæus in Gallia, apud nos Camerarius, & cum voluptate lego, quæ Athenarum quaſi antiſtites, Henricus Stephanus, & Laurentius Rhodoman ediderunt. Non reprehendo, ſi quis ſapientiæ

ſtudium

studium hac quoque facultate ornauit; quod paucis contingit, nec hoc sæculo multis videtur expetendum. Etsi de vtroq; sermone in promptu alia habeo; tamen alteri occasioni reseruabo; neutrum negligendum ostendi.

CAP. IV.

Debere etiam Philosophia esse imbutum, & in lectione bonorum auctorum, maximè autem Homeri, exercitatum.

SED sola lingua siue verbis litterarum cultor contentus haud erit: quid enim arculæ vel inanes, vel auro gemmisque plenæ, è quibus nihil mihi depromere liceat? At hoc volenti in procliui est cùm cuiq; nostrum, tum verò decet versantem in litteris inde aliquid doctrinæ petere elegantis & bonæ. Non leuiter verò etiam tinctum oportet esse studijs sapientiæ qui nobilem aliquam artem siue facultatem sibi parare in animo habeat, ac si quis docendi munus, in academia præsertim, absque aliqua philosophia ambit, nimium profectò impudens, nec repulsa solùm, sed etiam odio dignus est, non solùm, quòd eum se profiteatur, qui non sit, sed multo magis, quod neq; bonum iuuentutis, neq; dignitatem publicam respicit, cum alios ille rectè docere, ordinem verò hunc ornare, nequaquam possit. Immò discipulum artis dicendi in studio sapientiæ versatum antè nonnihil esse oportet, ne ad eam, illotis, vt aiunt, manibus accedat; & veteres dicendi magistros in dicendo non exer-

cuisse

cuiſſe tirones antè, quàm nonnihil de philoſo-
phia deguſtaſſent, ipſe magiſter artis Theon
aſſerit, & hoc nos quoq; in fronte ſuorum præ-
ceptorum ſequi iubet. Cuius igitur modi ille
magiſter rhetoricæ erit, qui prorſus hoſpes ſit
in ſtudijs ſapientiæ? In ijs ſe eſſe profitebantur
quotquot erant & eximij oratores & magiſtri
dicendi bonæ notæ: nec ad hanc rem exemplo
vnius alteriuſq; prolato opus eſt, cum idem ad
vnum omnes fecerint. Non iubeo tamen, vt
totus non niſi philoſophetur, etſi nihil melius;
quod aliud philoſophus, aliud dicendi magi-
ſter; ſed qui philoſophus eſſe & ſtudia doctrinæ
colere non vult in perpetuum, aut per vitæ in-
ſtitutum non poteſt, ac vel ad eloquentiam
ipſe, vel ad eius facultatis artem totus conten-
dit, eum ad lectionem & conſiderationem ſcri-
ptorum, vtriuſq; linguæ inuito: cogam, ſi quid
in ipſum iuris habeam. Quid enim alium do-
ceat cui ipſi lingua non ſit familiaris? qui non
multa bona, quorum vſus in dicendo eſſe ali-
quando poſſit, coaceruarit, & quaſi ante pedes
initio exſtruxerit? Inprimis volo, vt ad vn-
guem poëtam Græcum teneat. Sed hoc mihi
explicandum video, ne me vel poëtam, vel
poëtæ magiſtrum informare lector exiſtimet.
Namq; nemo ſecus ſentit, quàm abſq; Home-
ro, nec eſſe magiſtrum poetices, nec poetam
fieri. Qui enim ſine illo ſe poetam venditet,
neminem eſſe exiſtimo: quod ſi quis alterum
auſit, perinde habeam, ac ſi ſine fonte peren-
nitatem ciſternula aquam haurienti iactitet.

Sed hoc minimum ex eo boni: eſt enim vitæ hominum informator, tuba virtutis, vt alibi non minus verè, quàm magnificè prædicauimus, immò virtutis & præco diuinus & bonæ fidei magiſter; in quam ſententiam multa quoque apud Baſilium magnum legére eſt. In Homero enim, tam quæ bello, quàm quæ pace geruntur à mortalibus, quaſi in tabula videas: vt te geras vtroq; tempore, facilè diſcas: ſed huius partis explicatio in alium reſeruetur locum. Eloquentiæ confert plurimum, cuius eſt velut Polycleti ſtatua, quam artis illius cultori non minus rectè imitari licebât, quàm eiuſdem ſcriptam regulam ſequi: ſiue enim aut hominem, aut rem ipſam laudare vel vituperare tibi animus ſit, id pluribus locis Homerus docet; ſiue regionem, vrbem, montem, hortos, mare, amnes, fontes, res minimas, maximas, terram, cœlum deſcribere coneris, nihil te talium Homerus deſiderare patitur. Si quid ſuadere velis, aut diſſuadere; ſi quem inflammare aut deterrere; ſi conſolari, ſi in officio retinere; ſi accuſare, ſi tueri, quæ omnia ſunt oratorum, Homerus paginam non habet, ex qua in hos & ſimiles vſus non aliquid petas. Nec de verbis hîc me quis loqui putet, quæ tamen quoquo te vertas, propria, perſpicua, euidentia & luculenta ſunt; res ipſæ tam variæ ſunt, & argumenta ſolida, vt vix vllum genus orationis excogitare liceat, cuius in poeta exempla non inuenias. Hinc ſatis apparet, me nihil abſurdi dicere. Sed neq; noui aliquid dico:

diſertè enim Quinctilianus & Dion Chryſoſtomus & Dionyſius Halicarnaſſeus, ſtudioſum artis dicendi cum alios ſcriptores, tum Homerum ante omnes, vt & primum, & omnium principem, iubent cognoſcere. Noſſe profectò magiſtrum oportet quæ diſciplinæ ſuæ alumnum docere velit. Illi verò & de aliis agunt; mihi nominatim de hoc ſolo loqui viſum fuit.

CAP. V.

Fugiendos cumprimis eſſe prauos huius artis doctores.

NEQVAQVAM autem præterire debeo ceteros, qui vel orationes vel artem dicendi nobis reliquerunt: namque & oratores & magiſtros dicendi futurus artis magiſter cognitos habere debet. De illis nonnihil poſtea; de his prius accipite. Non equidem eum doctorem rhetoricæ velim, nec eo nomine appellari mereatur, qui rhetorica vel deprauata vel mutila didicerit, nec monumenta rhetorum priſcorum magna diligentia cognouerit. Pauci ſunt hodiè qui vetuſtos dicendi magiſtros ipſi legerint. Ariſtotelem verò, qui omnes illos ſuperauit, vel ſtultè prætereunt, vel ſuperciliosè contemnunt. Illud ſupinæ cuiuſdam negligentiæ eſt, hoc inſcitiæ extremæ ſimul & arrogantiæ non ferendæ. Verùm ii non ſolùm non acceptant quæ aurea ſunt, ſed ænea, & ne vix quidem ænea, aureis anteponunt: immò ſua eſſe aurea, illa nihil eſſe & falſa clamitant. Sunt autem pſeudorrhetores, & pſeudologici, & pſeu-

C dophi-

dophilosophi eiusdem farinæ & fere fidem:sed nos de ijs agemus, qui rhetorica contaminant & mutilant. Artem pollicentur primariam, cuius pusillam particulam ipsi vix habent. Vt si quis domum magnificam vasis aureis,stragulis sericis, veste pretiosa, & omni denique supellectile spoliet, nec non tectum à fastigio deturbet,parietes plerosque deijciat, fundamenta è pluribus locis subuertat, atque hæc omnia aliò transferat, sed ruderum forte aliquid relinquat; ita quidam pseudorrhetores artem nobilissimam tractarunt, vt de ea minus reliquum sit, quàm tum erat, quo tempore eam cœperunt extruere Corax & Tisias. Hos enim primum aliquid ad eam materiæ collegisse accepimus, quos secuti alij attexuere plura, donec siue Isocrates,siue Aristoteles ei ædificio fastigium imposuit. Nam vtriq; ea laus debetur, quod ille tot præstantes viros arte sua feliciter imbuit, hic artem vniuersam monumentis litterarum primus omnium omnibus numeris perfectam consignauit. Isocrates autem præceptàne dicēdi litteris prodiderit, qui id affirmaret, legi neminem: artem eius nomine inscriptam memini me legere:ac fieri potest,vt familiarium alij aliud notatum scripto comprehenderint,cuiusmodi tamen hodiè inde profectum nihil exstat. Nunc noui fabri,ad demoliendum nati, tropos ædificant, quo ipso verbo quis euersionem artis notari non suspicetur? Tridui autem doctrina est, & tridui opus, quod ad illā amussim fabricentur. Non melius arte tam in-

erti quis loqui valeat, quàm vel anus in villa ad operas rusticas, vel nautæ ad sentinam: nam & hic verborum colluuies sine mente, & clamores. Quanto elegantius puellæ, dum telam texunt, vel vestes acu pingunt, vel ad colum fila ducunt, fabellas absq; arte inter se narrant? primum ipsæ ingeniosæ, delectu verborum habito, bono ordine, quærentes omnia, quæ ad fidem earum rerum facere videantur, quæ tamen res suo vitio, ne quidem apud maximè credulos fidem inueniant. Plus ex vnica eiusmodi fabella, quod ad discendum faciat, didiceris, quàm ex omni ipsorum arte, siue myrothecijs, si qua habent: quod neque vestrum cuiquam videbitur, si rem absq; præiudicio considerabitis. Non enim balsama olent eiusmodi orationes, sed id fœtent quod elegantes aures repudiant. Habent enim fæces verborum, sordes sententiarum; nihil loquacius, nihil insulsius. In tali enim arte argumentum nullum, nulla fides, nusquam sales, nusquam ratio, immò ablegant alumnos suæ disciplinæ ad logicen. Nec verò eam habent, nec eam non esse directricem huius generis orationum, & hac neminem oratorum fuisse instructum, vident; nec opus fuisse, sed tantùm quibusdam, quibus precariò sumpis à dialecticis pro suis vterentur, & bono jure vti possent. Facessant igitur friuolæ gerræ & ridiculæ apinæ; taceant in auditorijs cùm publicis tum priuatis magistri inscitiæ & loquacitatis; nec alijs polliceantur, quæ ipsi non didicere; nec doceant

quæ poſtmodo dediſcenda ſint. Hoc nimirum eſt, ſpectra prodere pro rebus, quod in ludis puerilibus faciunt multi paſſim malè feriati magiſtri: nec enim de omnibus me quis loqui exiſtimet, cum & probos nouerim, qui officio in omnibus ſatisfaciant,& præclarè mereantur de tenera ætate. Sed quos reprehendo ij & omittunt quæ docenda erant, & docent pueros, quibus imbuti aut nunquam deinceps veras ſententias amplectuntur, aut quas nugas acceperint, ceu mentis maculas eluere magno negotio cum iactura infeliciter poſiti temporis,& non paulo minus annorum, plus etiam laboris porrò impendere rectis ſtudijs neceſſe habent: ingenium enim ſiue mentem hominis non abſimilem tabulæ æneæ dixerim, cui quæ figuræ primùm vel leuiter inſculptæ fuerint, eas eradere,vt veſtigia nuſquam appareant,ſupra modum difficile ſit. Quod ſi cui durius dictum videatur, cum vaſe teſtaceo nouo, Latinum poëtam ſecuti, ingenium comparabimus, quod qua re initio infectum fuerit, eius odorem in perpetuum ſæpè ſeruat, raro vix tandem amittit. Quorundam ingenia ita tenacia ſunt, vt ea rectius cum lana contenderis, quæ quo colore primùm imbuta fuerit, is nulla fullonia deinceps eluatur vnquam. Ita quoq; iudicant cum alij artifices, tum citharistæ: in diſciplinam enim fidium prorſus rudes facilè accipiunt, inuiti alios qui magiſtris ineptis antè vſi fuerint: ac neſcio quis duplicari ſibi mercedem eo nomine flagitauit, quod geminum in diſciplina

labo-

laborem sumeret, dedocendi priorem, docendi alterum. Hinc apparet, & quantopere deprauatores disciplinarum fugere & detestari, & quanta cura in illarum vnaquaq; parare oporteat qui artem, quam profitentur, & rectam & integram teneant.

CAP. VI.

Quomodo verus dicendi magister à deprauatore huius artis discernatur & quænam ars ista tradere debeat.

NVNC igitur tempus est, vt ea persequar, quibus cognitis, inter artis dicendi magistrum & eiusdem deprauatorem faciliùs discernamus. Ostendam autem, quæ sint artis summa & necessaria capita, quæ qui vel sinistre tradat, vel eorum aliqua vel vnum prætereat & ab arte excludendum censeat, ei in magistris dicendi locum esse negabimus, & iuuentutem obtestabimur, ne illis operam dent, qui quasi quis vtres non vino aut oleo impleat, sed non nisi vento distendat, ita ipsi artis opinione familiares inflant, & à rei veritate inaniores, quàm acceperant, dimittunt, vt qui pro veris tradunt falsa incredibili cum arrogantia. Tradenda autem nimirum præcepta sunt de singulis rhetoricæ partibus, de quarum numero ita variatur, vt de re nulla sit aut nullius momenti dissensio. Eas recensere puerile fateor; sed hic necessarium tamen. Qui plures, quinq; faciunt. Sunt autem, inuentio siue fides, elocutio siue

dictio, ordo siue dispositio, memoria & actio siue pronunciato. Nulla non earum partium præceptis eget, siquidem de quacunq; re, quæ in vitam incurrat, præcepta dari queunt, vt videtur. Sed neq; nulla esse videntur in procliui posita, vt vel de ijs præcipere superuacaneum sit, vel præcipiendum breuiter, vel nutu indicandum videatur. Orationem quidem quemadmodum mente conceperis, ita omnem meminisse, nec non orationi, quam & in animo & in lingua habeas, decoram actionem addere oportet. Eorum enim alterutrum neglectum omne oratoris negotium dehonestat & euertit. Sed memoria à natura est & exercendo corroboratur: ab artène aliquid habeat, non contenderim: hoc affirmarim, perpusillum illud esse, ne dixerim, quàm facilè futurum. Agere autem cum dignitate potest, qui, quid quem quo loco deceat, videt, & voce motuq; decorè vtitur: idq; ipsum vsu efficitur: de quibus item præcipi pauca debent, exercitium sedulò & sollicitè institui. Nugas agunt qui studio plures paginas de vtroq; referciunt, præsertim, si de præcipuis partibus aut nihil, aut quæ ad rem parum faciant, doceant. Sola namq; per se nihil efficiunt: immò quamuis omni histrionica instructus, aut monstrosa memoria præditus, minimum oratoris habeat. Qui nobis artem dicendi perfectissimam reliquerunt, vtriusque mentionem & ipsi faciunt, neq; tamen nisi de paucis monent, in quibus & hoc: in neutro multum præceptorum opus esse. Venio ad

cæteras

cæteras partes, quarum nulla non est necessaria, sed vna tamen præ alijs plus habet ponderis; quò magis in ea erat elaborandum. Duas, qui tenuiter artem persequuntur, non omittunt penitus, etsi neutram neque ipsi pertractant. Non potest enim non quisque videre, non esse confusè proponenda quæ dicas, si quidquam intelligi ab auditore velis; & perplexe cum verbis tum dispositione loquuntur qui se intelligi súaque existimari nolunt. Sed hic ordo neque è subtiliore quapiam arte petendus est, nec cuiusque arbitratu confingi debet: quod si quis sine præceptis conetur, impingat haud dubiè sæpius. Idem de dictione siue forma orationis statuendum, quæ nisi perspicua, nisi florens, nisi apte composita, auditoribus ingrata est, nec tolerabilis, nedum auide accipiatur aut animos occupet. Quare de elocutione plenè præcipi oportet. Sed quæ dixi capita, per se accurate cognoscenda; tamen minuta sunt præ vno, quod potissimum est, vt in hoc solo ars ipsa verti videatur, id quod est de fide facienda, siue de inueniendis omnibus, quæ propriè ad persuadendum accommodata sint: etsi enim cætera quoq; hanc rem adiuuant, vel certè, nisi perfectionem suam habeant, fidem omnem, vt magistri loquuntur, euertunt: tamen hoc caput rem ipsam continet, vt ipsa artis definitio hinc potissimum pendeat. Demonstrari autem triplex fidei faciendæ ratio ad hunc fermè modum potest. Tria omninò in omni oratione conueniunt,

vt oratio ſit, certè, vt habeatur: nulla enim omnium haberi ciuilis oratio poteſt, niſi ſint & negotium & orator & auditores: nec aliquid horum eſt, quin aliquid ad fidem faciendam aut omninò, aut nonnihil poſſe videatur. Eſt in oratore, ſi in eo ſit auctoritas, ſiue ſi fide dignus habeatur; eſt in auditore, ſi cauſſæ hic ipſe faueat, aut aduerſetur, prout oratori expediat; eſt in ipſa deniq; cauſſa, ſi rationibus bonis aut veriſimilibus innitatur, aut inniti exiſtimetur. Ne quis hæc breuiùs dicta obſcura cauſſetur, nonnihil hæc ipſa illuſtrare conabimur. Quod ergo ad oratorem, quæri ſolet, eumne virum bonum eſſe jubeamus, ita vt qui vir bonus non ſit, is inter oratores locum non inueniat. Neminem non decet eſſe virum bonum in ciuitate, quam ille cumq; artem, aut quodcunque genus vitæ colat; nec quidquam magis expediat, quàm idem hoc agi ab omnibus: neq; non legislator hoc præ cæteris omnibus omni ſtudio vrgeat. Sed vt pictor eximius, & mercator bonus ſæpè eſt, qui non ſit vir bonus, ſic muſicus, ſic poëta, ſic orator. Hi igitur abſq; virtute præſtare in ſua quiſq; arte poſſunt, itemq; ſine opinione virtutis, præter oratorem, omnes: orator enim niſi fide dignus ſit, omnibus argumentis & ornamentis orationis apud auditorem nihil egerit. Qui verò fide dignus habeatur, quem aut malum eſſe ſcias, aut bonum eſſe non ſuſpiceris? Eius vt conſuetudinem fugias, ſic & judicium & conſilium facilè contemnas & ſæpè deteſteris. Orator igitur, ſiue ille vir bonus

nus ſit, ſiue non ſit, appareat omninò inter dicendum bonus: ſi ſit, vt idem auditores intelligant, ſi non ſit, vt auditoribus eſſe videatur: nec idcirco eum aſtutum & verſippellem eſſe iubemus, & dolis alios circumuenire. Profectò enim qui hoc faciat, arte abutatur, vt ſicarius gladio, cum armis aduerſus hoſtes recte vtamur. Id autem palam eſt, & fortunæ bonis & plerìſque artibus, ipſis etiam bonis, abuti mortales, & eſſe eam cæterorum bonorum naturam omnium, præterquam virtutis & ſapientiæ. Nec verò vir bonus vnquam talis orator erit, nedum talis orator vir bonus, etſi ſe talem omnibus artis coloribus pingat, idemque auditoribus denique perſuadeat. Sed & in viro bono hoc, vt dixi, requiritur, vt quando non niſi res bonas animo meditatus ſit, nec niſi ſalutaria dicat; in omni oratione nihilominus eam animi morumque probitatem non oſtentet, (nihil enim ineptius: & quidnam rei magis aduerſarium?) ſed aperiat tamen auditoribus. Niſi enim dicentis virtutem in memoria quaſique in conſpectu habeant, minus eum ſequentur: quod ſi etiam de ea dubitare incipient, nequaquam ſequentur: at bonum virum, etiamſi ante crediderint, tamen ſi, cum negotium agitur, credant maximè, orator ille hac pœnè ſola ratione vicerit, quod fide dignus ſit. Ad hoc verò duo prętereà pertinent, vnum, vt & prudens eſſe, alterum, vt benè quoque velle iis putetur, ad quos res pertinet. Vtraque verò etiam eſſe ſatius & rectius: ſint tamen, ſiue non ſint, pla-

num

num & perſpicuum fieri hoc quoque oratione oportet. Contrà autem, in quo nihil conſilii, aut parum beneuolentiæ animuſúe erga nos non ſincerus; ille nihil omnium nobis perſuaſerit: quin ab eius conſiliis & iudiciis iamdudum abhorremus. Non obliuiſcamur autem, & beneuolentiam illam, & prudentiam, & reliquam virtutem vi orationis repræſentari oportere. An verò hoc temerè & ſine arte fieri quis arbitrabitur? Sin arte, præceptis hac in re non minus, quàm in cæteris, opus erit: idipſum doctis dubium eſſe non poteſt, qui ea prodita ab optimis magiſtris dicendi cognitam habeamus: cuiuſmodi ea eſſe oporteat, paulo inferiùs oſtendemus. Sequitur, vt videamus, auditórne fidem aliquam ſiue perſuadendi quandam rationem ipſe in ſe habeat, quæ tamen excitetur ab oratore. Primum eſt, vt auditoris animum orator, vti diximus, occupet: alterum, vt eum in aliam atque aliam formam fingat, quaſi ceram, hoc eſt, alio atque alio affectu imbuat. Hoc enim fieri, plurimum refert: nec enim eodem modo exiſtimamus de rebus triſtitia depreſſi, quo elati lætitia; aliter item, cum amore proſequimur, aliter cum odio habemus. Affectus auditoris, ſi cum oratore faciat, hic illi facilè, quòd velit, perſuaſerit, ac perſuaſiſſe iam videri poteſt. Hoc autem modo in cauſſa improba aduerſus æquam cum iudice agere aſtuti eſſe & calumniatoris haud falsò quis dixerit. Itàque & ex iudiciis benè conſtitutis talis ratio legibus & pœnis arcetur. Tamen

men in bona caussa hac arte, quæ tum malitiæ naturam exuit, & vir bonus vsurus esse videatur: æquum enim censeatur, si iniuria affectus sis, indignitatem rei ostendere, & ad iustam indignationem concitare iudices & quosuis auditores. Denique rationes in medium allatæ orationem primo loco corroborant. Tum enim vi orationis credunt, vbi verum aut verisimile ostenderimus & quasi demonstrauerimus, sumptis iis, quæ ad persuadendum accommodata sunt in singulis rebus: quorum quędam omnibus dicendi generibus æquè communia sunt: quædam sunt suo generi propria, ita tamen vt, quoties opus sit, iisdem principiis siue elementis, in cæteris generibus vti liceat, sæpe etiam oporteat. Tres ergo esse probandi siue persuadendi vias, ex iis perspicuum est, quæ diximus: tres autem esse, & artis esse ipsas, nemo nisi qui eloquentiam eiusque omnem vim nesciat, neget. In arte igitur & suo loco, & quoad huc pertinent, & ad persuadendum faciunt, tradendæ omninò erunt. Hoc enim est suo loco agere, non alieno: alieno traduntur, quæ ad rem præsentem aut nihil aut parum pertinent, vt si quis huc trahat omnem ratiocinandi artem, aut omnem disciplinam de republica: multo magis, si quis hîc de natura rerum disputet. Nam qui iubent ea petere ex media logica, politica, aut aliis ab hac diuersis artibus & scientiis; primùm ipsi huius ineptæ sententiæ auctores tantarum disciplinarum plenos limpidosque fontes non possident; præterquam quòd,

quòd, quæ orator meditatur, de affectibus, ea non adeò curæ sunt physico; etsi hic in cæteris naturæ accidentibus & animi perturbationes considerat, sed longè alia ratione, & fine, non ad actiones, sed ad cognitionē directo. Perturbationum enim caussas perscrutatur etiam intimas, & cùm in vniuersum omnium, tum singularum ex ipsis caussis definitionem exstruit. Curæ autem esse oportet & oratori, & primo informatori ciuitatis eiusque deinceps gubernatori, cuius ille apparitor quidam primarius est. Demus tamen, dicendi studioso esse occasionem illa cognoscendi è probis quarumque magistris: sæculo ei opus erit antè, quàm ad dicendum veniat. Nec enim est ita breuis, nec ita facilis, vt quidam somniant, ad sapientiam via, aut traiectus breuis de ripa inscitiæ ad alteram scientiæ, vt impudentes aliqui & infelices portitores pollicentur. At esto quis tam admirabilis & prorsus diuini ingenii adolescens, qui omnem sapientiam paucis diebus hauriat, in cuius parte vna atque altera sæpe quis omnem vitam peruestiganda transigit, vt multis adeò sæculis pauci in ea eximii, quasique pentathli oriantur, tamen præceptis eidem nouis opus erit, quibus erudiatur, quæ hinc inde ex omni philosophia quomodo depromat, nec aliter, quàm conuenit, vsurpet in dicendo. Proinde rectè vidit ille vir vere magnus, qui subtilissima quæque acie ingenii penetrauit, quibus opus esset, omnia: nec eum temerè, vt ducem præstantissimum secuti fuere, & magistrorum

dicendi

dicendi principes & ipſi in dicendo oratores; illi quòd ſe longe infra philoſophiam poſitos intelligerent: hi, quod ſine magiſtris vix quibus opus eſſet, omnia, nedum meliora accepiſſent. Vtrique præterea & cætera & hæc conſiderarunt. In perturbationibus tollendis ſiue ſedandis non ſolum cuiuſque affectuum naturam penitus ignorare non oportet, ſed cum primis ſcire, quomodo animi diſpoſiti perturbatione quapiam afficiantur: deinde quos affectibus petant: denique quibus de cauſis, ſiue ob quas res. Exempli gratia de ira, quomodo affecti, iracundi ſint: & quibus iraſci homines ſoleant: & quarum rerum gratia. Sic auditorem ad iræ flammam concipiendam arte præparabit, vt deinceps, quæ mereantur iuſtam indignationem, in tempore effundat. Ea omnia non niſi vel longus vſus vitæ, vel ars docuerit: artem enim vicariam ſiue anticipatricem illius vſus animaduertimus. Quæ vnumquemque multis modis & longo tempore experiri, quæ tentare oportet, vt quam velis prudentiã, conſequaris; ea ipſa explorata iam ab aliis, & ſæpè aliquot ſæculorum teſtimonio confirmata, & prorſus certa, cum diſcipulo citra inuidiam perliberaliter communicat. Cæterum vt per omnem orationem orator ipſe talis appareat, qualem diximus, idque per dicendi facultatem, ſiue ille reipſa talis ſit, ſiue non ſit; multa eum ſcire de humanitate & beneuolentia, de prudentia, & conſiliis, denique de omni officio oportet. Quæ cum vir bonus ad exponen-

dum disertè non omnia in promptu habeat, nisi hoc loco didicerit; quid existimabimus de eo, cui de virtute vix vnquam quidquam in mentem veniat? Eruditur autem hic vnusquilibet, vt antè ostendimus, cum diximus oratorem esse sæpenumero, qui bonus vir non sit: etsi hoc quoque non obliti fuimus, ad neminem non pertinere, vt vir bonus esse studeat. Iam si hæc, quæ sunt oratoriæ appendices, arte comprehendi oportet, quanto magis, quod primum omnium. De argumentis igitur potissimum & accuratissimè omnium docebit dicendi magister: exponet eorum formas, relinquet suas philosopho. Habet namque alium syllogismum & suum, aliam inductionem & suam, orator: quæ formæ etsi non sunt eius subtilitatis, tamen nequaquam negligendæ sunt, tum vt quantum potest, confirmet, quæ velit, tum vt infringat, quæ debet. Idem verò & locos ostendet, quibus maxime opus est: communes eo dicti quod in omni genere dicendi ex iis argumẽta depromat orator. Non est, quod de vtroque logicen magistrã adsciscat, quasiq; in rem præsentem ducat, cum illa de suo mutuum siue dono dederit, quantũ rhetoricæ opus sit. Nec proinde negamus, quo quis in illo campo sit exercitatior, hoc futurum in dicendi campo siue meliorem siue expeditiorem. Sed tamen rhetorica suæ supellectili certum modum statuit, qua contenta sit. Est enim rhetoricæ liberalis quædam conditio, sed beneficiaria tamen. Nulla enim per se & fere omnium egens, mutuatur

partim

partim à dialectica, partim à politica, tantum non omnia quæ habet: vtrâq; ei cupidè gratificante, atq; ita earũ ſupellectile in ſuo vſus relata abſq; inuidia illarum, & ſine contumelia cuiuſquam, vtitur. Nõ exprobratur enim paupertas, quam non ignauia aut improbitas attulerit: & laudatur induſtria, qua quis ſibi neceſſaria honeſtè comparat: eaque minus inuidentur, quæ opera quadam nobis emimus. Non enim iniquum cenſetur, vt ad quorum nutus vſuſque viuimus, eorum fruamur & munificentia. Nec probus beneficiarius præter voluntatem domini quicquam ad ſe transferat: nec niſi improbus, quæ bonorum aliquis vel gratuito, vel merito ſuo acceperit, iis quenquam ſpoliet ſpoliandumúe cenſeat. Habere autem rhetoricam diximus certa quædam bona & à politica, accommodata iam ipſius vſibus. Etenim de quibus & ex quibus diceret, niſi regina illa ipſa ſuppeditaret? Quæ ſint, in arte oſtendi debet: nec non eadem tradi diſertè & liberaliter: non omnis tranſcribi huc politica, ſed ex ea petita neceſſariâ, hîc non ieiunè tamen explicari. Agit enim orator de vtilibus & pernicioſis, de iuſtis & iniuſtis, de honeſtis & turpibus, denique de bonis & malis, & de vtrorumque ſumma. Quare eorum naturam ignorare penitus non debet. Debuerunt igitur exponi in arte, quę ipſi ſunt neceſſaria, & quemadmodũ neceſſaria. Non enim niſi ad perſuadendum vti velit, iis quibus vtitur politicus ad agendum. Illum vitæ humanę rationem omnem

tenere

tenere primum oportet, & rerum, quibus illa regitur, aliquam vmbram siue delineationem. Hoc est in propositionibus, quas non vulgus tenet imperitum, sed plerique tamen mortalium, quos rerum vsus erudijt, pro bonis ratisque habent. Triplex autem opinionum differentia intelligitur: quædam in extrema inscitia & ab ea sunt. Nemo est enim tam nihili, & omnium rerum tam imperitus & indoctus, quin sibi de ijs, quas dixi, rebus iudicium vindicet, quod incultorum hominum impurum barbarumq; esse necesse est. Proinde quotquot vel primum fari cæperunt, de illis ipsis, quæ in buccam aut in cupidtatem veniunt, perplexè deblaterant, non modò falsa, sed alia atq; alia: cum de singulis, vt pro tempore ipsis visum fuerit, aut commodum sit, sentiunt. Ex eiusmodi principiis eloquentiæ maxime aduersantibus ipsa minime conflatur: nec si quid inde nascetur, affectet, qui sapiat: quod etiam in inani verborum profusione maxime aduersabitur eloquentiæ. Iam si orator contrà omnes etiam opes politicæ possideat siue in polliticis primas teneat, quod de Nestore inficiari nemo potest, neque de M. Tullio quis velit: tamen illos sapientiæ thesauros ad auditores suos non recludat omnes omnibus. Rudes enim cum sint auditores, capere sublimia illa subitò, deque ijs erudiri non possunt; nedum tantis tamque diuinis institutis statim assentiantur. Quæ enim quis mente non capit, ijs subscribere neutiquam velit: quin talia fastidimus, &

ne in

ne in fraudem aliquam inducamur; metuimus.

CAP. VII.

De primariјs artis dicendi magistris antiquis, & quomodo ij interpretandi.

CVIVSMODI igitur doctrinæ genere opus sit, iam liquet: nec minus liquet, talia in arte minime prætereunda. Iam postquam diximus, cuiusmodi artem esse, & quibus præceptis refertam oporteat; ea omnia, vt primum requiri in arte demonstratum fuit, persecutos fuisse nobiles artis magistros, aut ingressos eam viam, dubium non est, qui omnem artem litteris complecti voluerunt. Horum primus est Aristoteles, cuius, qui se magistros dicendi profiterentur, neminem puduit: quin auctorem optimum secuti, alij ipsius vestigijs sibi maximè insistendum putarunt, alij alia etiam pleniùs tradere feliciter conati fuerunt. Vtinam exstent, quæ in eo genere Theophrastus laborauit; nihil, opinor, desideraremus. Isocrates item siue artem ipse composuit, siue auditores suos illustres, quæ sequerentur quotidiè, monuit, neq; quidquam eorum prætermisit, neque ab ijs diuersa tradidit: etsi plurimum studij in delectu verborum & compositione ponendum iudicauit, & ipse posuit: ausim asseuerare, è ciuili scientia siue doctrina de vita & moribus & de repub. multo plura deprompsisse. Id viri orationes non vno loco ostendunt; sed inprimis in ea id præ se fert, quam de permutatione inscripsit. In ea ipsa enim obtrectatoribus respon-

det: (nec enim inuidia optimis parcit, & facilè inuenit, quod vel in summa virtute calumnietur) & demonstrat, quàm sanctè in dicendo se gesserit, & quemadmodum minus in plebeio forensi genere, sed potissimum in primario deliberandi versatus fuerit. Solebat autem ipse, quod etsi præter ipsius artem erat, quod vehementer tamen in eo, & in omnibus probandũ est, familiarium suorum animos rectè viuendi præceptis, & ad res præclare gerendas, non minore diligentia, quàm ad eloquentiã informare. Id autem secuti fuere magistri dicendi primæ notæ alij; in quibus Dionysius Halicarnasseus & Libanius familiam ducunt. Operæ precium faciant, nec minus præclarè de juuentute, quàm de repub. mereantur, si eos imittentur, quicunq; bonas litteras profitẽtur, & quãcunque bonæ doctrinæ partẽ explicant. Nec quem dixi modo Dionysium quidquam omnium, quę artis esse indicauimus, prætermisisse facilè suspicari possumus, cùm ex alijs viri monumentis, quæ vindicata ab iniuria temporis ad nos peruenerunt, tum ex ijs, quibus artis aliquas partes, vt doctissimo viro dignum fuit, illustrat, & acrem & iustum oratorum ipse censorẽ agit, & artis cultores, nec minus ipsos oratores, mea sententia erudire possit. Nullum est enim scribendi genus, cuius ille rationem non intelligat, & si eam perscribere conetur, non item diuinitus, cùm profectu & admiratione lectoris, aperiat. In latinis scriptoribus integram artem tradidere luculentè & feliciter Cicero, & Quinctilianus, quos inscitiæ arguere: amentiæ non

minoris

minoris eſt, quàm impudentiæ. Non enim exiſtimandum, oratorum principem artem ſuam non intellexiſſe. Quis enim ferat eum, qui Apellem ignarum fuiſſe dimenſionum & colorum aſſerat? Nec, qui in omni vita nihil egerit, niſi artem inueſtigarit, artis præceptorum neq; minimum neglexerit, in arte juuentutem Romanam cum laude docuerit; in arte multos ipſe perfecerit. Secundum eos in precio eſt Hermogenes, qui etſi quæ artis ſunt, non æquè omnia perſecutus fuit: (nec enim id ipſi fuerat propoſitum (tamen nobiles aliquot eius partes ſummo ſtudio rimatur & explicat non vulgari modo: & omninò ei, qui artem eiuſque elementa iam perceperit, multum vtilitatis adferre poterit: tiro ex eo non magnos fructus capiet. Nobilis porrò ille Athenienſium orator Demetrius Phalereus non niſi de elocutione ſcripſit: ex cuius tamen aureolo libello rationem compoſitionis & diſcrimina notarum dicendi recte didicerimus. Theon autem & Aphtonius non niſi rationem exercendæ juuentutis in dicendo nobis reliquerunt; quæ præcepta ſi in manibus adoleſcentes habeant, relictis nugis omnia breui pollicentium, operam minimè ludant. Supereſt Dionyſius Longinus, quem ſupra magiſtros dicendi colloco. Quando enim ſuam de ſummò genere dicendi ſententiam oſtendit; non ſolum ibi oratorum, ſed omnis generis ſcriptorum ſubtilis & acer, nec iniquus cenſor eſt, homo doctiſſimus & ſummi ſincèriq; judicij. De plæriſq; veteribus & primarijs dicendi magiſtris

verborum feci, quantum huic loco conuenire iudicaui; quorum qui vestigijs ingressi, de arte aliqua tradiderunt, & fortè alicubi illustrarunt, suam & ipsi laudem merentur; odium contrà, qui à recta necessariaque docendi ratione, tantis auctoribus spretis, abeunt, nec à tritico, vt dicitur, ad glandes, sed ad famem, immò ad inscitiam siue barbariem redeunt. Ridenda est talium arrogantia; sed detestanda pertinacia omnium, quotquot veris sententijs veterum proiectis, per suas nugas à veritate, in quacumque disciplina, discendi cupidos nequiter abducunt. Nec mirum, si ipsi greges ducunt: quid enim magis in promptu, quàm primæ ætati imponere grandibus promissis? & nouitas ipsa valens illicium est. Ex ijs igitur, quæ dixi, satis perspicitur, non cuiusmodi ego magistrum dicendi esse jubeam, sed cuiusmodi omninò esse debeat. Talis igitur demum ita rhetorica docere poterit, vt & juuentutis linguam rectè formet, & dignitatem academicam tueatur, & ipse laudem reportet. Namq; huic boni & intelligentes volét vltrò, ac res deniq; ipsa pro eo loquetur. Præstabit verò idem præterea vnum atq; alterum quæ, hoc loco præterire non debui. Sub docendi autem munere continentur, siue sunt eius appendices necessariæ, vt veterum scripta interpretetur auditoribus; in quo se ita geret, vt non solùm Græca perspicuè, purè & eleganter latinè reddat; sed & tam in Græcis quàm in Latinis monstret artificium; similia interdum depromat; historias temporum explicet, & scriptori lucem addat, vbicumq; opus sit;
caueat

caueat tamen ſedulò, ne ſæculum in minutiſſimis & perſpicuis hæreat. Nec ego nunc eiuſmodi dicendi magiſtrum, cuius quaſi quædam prima lineamenta duximus, de inſulſa nuperq; nata in Prælo, (doleo quòd Lutetiæ) interpretandi ratione monebo, quam per ſe fugiet & auerſabitur, cum eruditus ipſe inutilem eſſe, etiamſi mancipiorum ſobolem erudias, intelligat. Brutum eſſe, non hominem, oportet, qui ipſe per ſe non videat, cuiuſmodi tales interpretes identidem inculcant. Alterum eſt, vt dicendi ſtudioſum primum iuſto tempore, nec adhuc balbutientem, deinde in puſillis initio partibus, vt, qui ſtatuariam diſcunt, primum vel membra totius, vel minutula quædam è cera effingunt; deniq; in genere, profectui ætatiq; accommodato, exerceat. In emendando id nimirum agendum, vt vitia notentur, quacumq; in parte ſint; quod ſatis putem. Etenim ſic emendare, vt perficias, non emendationis labor eſt, ſed ſcriptionis labore maior, atq; hoc creditus grauior. Nec verò à magiſtro requiram, vt orator ſit: ſi ſit, duobus nominibus mihi erit gratior: poſſit aliquid pangere, quod eloquentiam ſapiat. Aliud enim eſt eſſe oratorem, aliud dicendi magiſtrum. Nec tamen, qui ſæpè perorauerit, aut eiuſmodi opera cōdiderit, quæ pueri ſuſpiciant, magis orator erit, quàm architectus, qui villico domum ædificarit: in quo fortaſſe ipſius villici, nec artem, nec induſtriam quis deſideret.

CAP. VIII.

De recentioribus eius artis magiſtris in Gallia, Italia & Germania.

ATQVE hæc hactenus: Expoſui enim, quid ſuper hac re ſit mei conſilij. Nec verò quis exiſtimet, fabulam narrare me ex veteri ſæculo & hæc atque huiuſmodi pro ſomnijs habenda. Sic enim iudicant, qui bonis litteris non ſatis informati ſunt, nec vnquam veras ſententias ex alijs acceperunt: fortè quoque ſuſpicabuntur, aut nunquam aut mnltis ſæculis eiuſmodi aliquem non exſtitiſſe. Demerſæ fuerant in tenebras multis jam ſæculis elegantiores litteræ, ſiue omninò ſepultæ; ſed reuixerunt ab auorum memoria, ſiue à primo ortu artis typographicæ, ſiue à deleto orientis imperio, vt earum originem aliquanto altius repetamus. Semper aliquos ſi non ex ipſa arte, at vſu coluiſſe eloquentiæ ſtudium nec mihi dubium eſt: ſed tum magis vigere cœpit, & rectius feliciuſq; tractari. Renata enim fuit vnà cum litteris ars ipſa docendi non minus in Gallia, quàm in Italia. Cum enim rex Franciſcus primus, diuino conſilio, regia liberalitate, fulciret rem litterariam; repente exortus fuit exercitus non diſcentium ſolùm, ſed & docentium omne genus liberalium diſciplinarum. Artem autem hanc docebant rectè cum alij viri doctiſſimi, tum Adrianus Turnebus. Nec refert, vt fit, & Athenis acciderat, vbi cum maxime florerent, tamquam in primo ſummoque orbis terrarum domicilio, principes philoſophorum,

rum; putidiſſimi ſimul & loquaciſſimi ſophi-
ſtæ non tam in arenam cum illis deſcendere
non dubitarunt, quàm imperitum vulgus & a-
doleſcentes inanibus promiſſis ineſcare, vt glo-
riam ſibi & argentum inuenirent, auſi olim fue-
runt: non referre aio, etiamſi tum quoq; ex illo
academiarum orbis vaſtigio & huius artis &
ſublimiorum deprauator prodijt: conuictus
enim inſcitiæ, coactus idem fuit conticeſcere
etiam decreto regio: ad quem modum compe-
ſci falſarum opinionum auctores oportet: &
fieret, ſi id penes doctiſſimos ſtaret, aut, penes
quos poteſtas eſt, omnes hoc negotium magis
intelligerent. In Italia paulo ante noſtram æta-
tem talis fuit dicendi magiſter Patauij Lazarus
Bonamicus, cui tum operam dederunt Ger-
mani aliquot, quorum partim eloquentia præ-
ſtantes rempub. geſſerunt, partim artem
domi docuerunt: de quibus dicerem forte, niſi
alio loco id diligenter à me factum meminiſ-
ſem. Ætate fuit non multo inferior, eodemq;,
vt coniecturam facio, tempore docuerunt;
ſed docuit Florentiæ Petrus Victorius, neq; vo-
ce tantùm artem explicauit, ſed ſcriptis etiam
propagauit: & ſupra omnes de arte artiſq; ſtu-
dioſis meritus rectè iudicatur. Primus enim A-
riſtotelis de ea re libros emēdatiores edidit, &
iuſtis commentarijs illuſtrauit: quin niſi ille fa-
cem alijs prætuliſſet, in pluribus alij interpretes
laborarent. Indicio eſt, quod quæ ille minus vi-
derit, in ijs parum ipſi vident. Nam exempla ad-
dere, partiri, laudo illa quidem, & alia: ſed ea
omnia faciliora ſunt: & in vniuerſum facilius,

 digito

digito intento in viam, reliquum omne iter perficere. Qui salutem nobis dedit, ei prima debetur gratia: neq; nulla ei, qui aliud beneficium dedit. Quam qui post Victorium quasi symbolam attulerunt; ea & nos fruemur, nec ipsis ingrati: etsi & hi non minus, quàm nos, illi debeant. Nec minore cum laude docuerunt eandem artem Patauij & Bononiæ vicissim, Franciscus Robertellus & Carolus Sigonius: Cum enim ille Bononiæ doceret, hic docebat Patauij: quando hic Bononiæ, ille Patauij: intermedio tamen tempore docebant ambo Patauij cum æmulatione fortè nimia, ne quid dicam de tantis viris acerbius. Sed summa ingenia humanum etiam aliquid interdum patiuntur. Vterque autem eorum egregius studiorum humanitatis cultor fuit, hic verò etiam singulari facundia præstare creditus: quam tamen eloquentiæ laudem alter non minus affectabat, adeoq; ipse eum audiui perorantem cum admiratione omnium, præcipuè, quòd actione valeret & memoria. Studebant cumprimis Poloni Sigonio, apud quos prima est eloquentiæ laus: & præmijs ornantur in florentissimo regno, qui animum virtute & politica disciplina & facultate dicendi probè excoluerunt. Digna profectò disciplina cũ primis ciue nobili, æmulaque disciplinæ veterum, si Græciam contemplemur, & historiam vrbis memoria nobiscum repetamus. Romæ eodem tempore docuit M. Antonius Muretus, de cuius puro sermone & priscæ notæ eloquentia multis verbis agere nec audeo, quod haud pro

meritò

meritò possum; non opus est, quod per se notares. Iacuerunt bonæ litteræ in Gallia, aut minus certè floruerunt, multis iam annis ob intestinos motus; quibus vtcumque sedatis reuiuiscere ibidem non dubito; cuiusmodi quomodo se noua initia habeant, nos fugit. In Italia autem hodiè prouinciam litterariam princeps tenet Antonius Riccobonus, & fortè alij. Sed aliorum scripta ad nos hactenus non perueniunt: Riccobonus Patauii in florentissima omniũ academia litteras humaniores, & cum his siue in illis ipsis oratoriam annos complures docet: quàm præclarè, prædicarunt mihi sæpe iuuenes nostri, redeuntes ex Italia, quibus familiariter vsus fuerat. Est enim, vt ex iis plærique, quos ante nominaui, Germanicæ nationi peramicus, in quo & ipsum litteris sæpe confirmaui, & à nostris, vt viri meritum est, studiose obseruatur. Idem verò, quæ ad hanc rem faciant, multa edidit, consentanea cum veterum præceptis, siue potius ex illis ipsis deprompta: immò à veteribus prodita, singulari diligentia illustrat pereruditis ingenij monumentis, quæ legere familiares meos iubeo, certos ex eo labore ipsis fructus pollicens: quos ad se rediisse aliqui ita prædicarunt, vt se mihi gratiam debere profiterentur. Non caruit autem neque superioribus sæculis cultu studiorum omnis generis doctrinę Germania: in qua cum hodie sint permultæ academiæ (numero enim nec Gallię, nec ipsi Italiæ cedit, quod hominum memoria, principum & rerumpub. bono consilio & singulari munificentia, non pauciores in ea conditæ

conditæ fuerunt, quàm antea fuissent: vtinam bonitate primas æquarent nostrarum vna atq; altera!) nulla omnium ita iacet, vt nō in vna alteraúe disciplina eximium aliquem habeat, mediocres plerosq; cæteros. Vt enim in vna qualibet aliquid & multū sæpe desideretur; id fieri vitio rerū humanárū iudicabimus: quas cōsilio, qui prudentia & auctoritate & potētia valent, subleuare possint: & eorū eæ partes sunt: atq; itē nostrę, aliquid boni consilij ad eam rem depromere, & omni studio cauere, ne quis obsistat vtilitati iuuentutis & dignitati academicæ. Sed de iis quæ sinistre vel negligenter in academiis fiunt queri mihi non libet: etsi tantam rem ab aliis non ita bona fide agi, magnopere dolendum est, quod in academiis, siue in educatione iuuentutis non minimam partem profectò salus reipub. vertitur: quales enim, id est, quàm boni & docti ex academiis ad rerum tractationem veniunt; tam felix aut infelix est status publicus. Vt autem in aliis disciplinis alicubi eximios inuenias, ita neque nulli exstiterunt, qui arte dicęndi nostram iuuentutem præclare erudirent. Mediocres relinquam, quos tamen & ipsos paucos reperiri doleo, qui videlicet ipsi quoque ad scopum collineant: duos prædicandos mihi puto præ cæteris. Etenim Ioachimus Camerarius, cui tamen ex hac arte summam laudem non tribuo: erat enim non verbo sapiens, sed cum omni genere bonæ doctrinæ excelleret, tum primis virtutibus exemplo erat vniuerso ordini eruditorū, si quis in eius mores, vitam & consilia oculos coniiceret. Sed hæc omnia

mnia non minus in ipſius ingenij monumentis elucent, & elucebunt, quamdiu erunt, & quocunq; in loco erunt litteræ. Quod dicendum erat, magnus hic Camerarius Lipſiæ, & Argentorati Ioannes Sturmius, pares iis, quorum ante memini, artem dicendi diuinitus tradebant: etiam conſignata litteris nobilia dicendi præcepta nobis reliquerunt, quibus vti adoleſcentes rectè poſſe iudico. Iam me puero tam Sturmii, quàm Camerarii nomen erat percelebre, cùm ob doctrinæ præſtantiam, tum potiſſimùm ob dicendi facultatem copioſam & illuſtrem. Ad hunc igitur quaſi dicendi magiſtrum, vt erat profectò princeps illius ordinis, ex longinquis etiam terris multi confluebant: nec putabatur in Germania eloquentiæ ſtudio incumbere, qui Sturmium non audiuiſſet: quòd non omninò falsò iudicatum creditumque fuit principium & nomen idem dedit ſcholæ Argentinenſium, claramque idoneo ſucceſſori quaſi facem de manu in manum tradidit. Verùm de iis, qui dicendi artem hodie in noſtris academiis docent, dicere mihi animus non eſt. Videar enim fortaſſe, ceu delectum agere, ſi alios prætercam, eos prædicem quos ipſe probem: id quod & ipſis inuidioſum ſit & mihi. Dubitare enim neminem velim, & hodie eſſe illorum ſimiles, tum alibi gentium, tum apud nos: nec verò mirum, ſi taliũ paucitas. Quotus enim quiſque ad eam laudem contendit? nec ingenia fouentur cum delectu: denique præſtantibus, aut gratia, aut iudicandi imperitia,

aut

aut prauo consilio anteferuntur artis rudes, loquaces, arrogantes.

CAP. IX.

Quales doctores eloquentiæ in academiis hodiéque constituendi sint.

NON possum facere, quin hoc loco tangam alicubi introductam consuetudinem, non carpendi studio, sed vt errorem indicem, quem agnitum vitent, qui bono consilio, bono rei litterariæ, vti velint. In ordine philosophico, idque aliqua æquitatis specie, & non indigna nobis beneuolentia, si quis cedat, proximum aut quemuis alterum in defuncti aut abeuntis locum surrogant, quem successor ille vix vtcumque tueri possit: non enim qui philosophiæ magister est, continuo athleta talis fuerit in ludo sapientiæ, vt in omnibus eius partibus, etiamsi nullam præterierit, præstet. Namque alius se ad physicen, alius ad oratoriam, alius ad poëticen, alius ad mathemata vel magis vel totum contulit: quin in vno excellere mediocribus ingeniis, quando talibus plærique sumus, magnum putem. Quare hæc ratio repudianda est: perinde enim fit, ac sic fabrum ferrarium quis æs tractare iubeat, aut aurificē esse, quod quisq; horum malleo vtatur & aliis fortè id genus instrumentis. Quod ad me, quando & ante docui, & hoc tempore artem dicendi doceo; nec nimium mihi arrogo, nec omnia dissimulo; nec censuram doctorum & eloquentium extimesco: nec enim minus, quàm egomet, mihi tribuent. Plura equidem in me desidero, quàm alii:

alii: nec fortè tamen erit qui neget quod res ipſa teſtabitur, me in omnibus mediocriter fuiſſe verſatum, quæ requiſiui in iis qui ſe aliquando magiſtros dicendi profiterentur. Quæ in quo ſint ad vnum omnia eximia, eum ego ex omnibus ad hoc munus deligam: qui omnium vel eorum alicuius in vniuerſum expers ſit, ei ego locum docendi, ſi per me ſtet, in perpetuũ occludam, etiamſi ex me natus ſit: omnes enim, præſertim viri docti & iuuentutis noſtræ fidei creditæ, & dignitatis publicæ rationem habere debemus, & vtrique ſincerè conſulere, non nobis, nec vel cariſſimorum emolumentis cum iactura publica. Qui ſecus ſciens faciat. Sed dicet alius: nec vnquã perfectum oratorem Tullij, nec eiuſmodi magiſtrum dicendi facilè repertum iri: nec forte quos recenſui in iis præſtitiſſe omnibus. Ego verò non eô primum gradum oſtendo, vt in ſecundo nihil dignitatis eſſe ſentiam: etenim in hoc fortè & mihi locus, cum in illis omnibus, quæ ſunt earum partium, non ſegniter laborarim, nec omnem operam luſiſſe exiſtimer. Ac ne quis me nimis eſſe moroſum & præter æquum acrem ſuſpicetur, nec eos, quos in tertiis deprehendero, repudiem: ſi enim ſit, qui, quæ dixi, facientia ad hanc rem ſtudia colat, & in ſingulis progreſſum aliquouſque fecerit, & procurrere vlterius apud animum conſtituerit, &, quod propoſuerit, per ingenium & per ætatem aſſecuturus videatur, idem tamen ab arrogantia remotus; ei hoc negotium, de quo agimus, credi rectè cenſeam. Eiuſmodi tamen aliquis nihilominus à nobis

confir-

confirmandus & excitandus erit, vt ſollicitè munus ſuum gerat, ne datam collegis fidem negligentia fallat. Quæ enim in illo, quæ in quocunque alio munere fides, ſine cura atque diligentia? Hæc autem eſt non ſolùm mediocris, ſed doctoris etiam primarij, non minus ad diſcendum, quàm ad docendum: nam qui in animis perſuaſionem habent ſapientiæ, mirè alios docere geſtiunt: contrà homines doctiſſimi, quo vlterius proceſſerunt, eo maiore diſcendi ſtudio flagrant; etſi iidem quoque, ſi quid boni habent, cum aliis vltrò cupide communicant. Illud an non ita fit, vt qui iter faciunt, ſi in conſpectu vrbem, ad quam cogitarunt, habent, celeriter pergant? ſiue, vt qui in ſpatio propiores metæ ſunt, tum demum volant, ne palma excidant? an, vt auari nulla pecuniæ, ita illi nulla ſcientiæ copia ſatiantur? an quo plures ad limpidiores ex fonte ſapientiæ riuulos deduxerunt, hoc illum vberiorem eſſe, nec vllo ingenio, induſtria, tempore, exhauriri poſſe intelligunt? Denique qui in ſe diligentiam in diſcendo quocunque ætate deſiderari patitur, is nullius doctrinæ, qui in docendo, nullius fidei ſemper habebitur: nec illam ab hac diuelli poſſe exiſtimem. Hæc autem meditata ſedulò, inuenta, ni fallor, rectè, perſcripſi, non mei venditandi, ſed publicæ vtilitatis gratia. Qui igitur ſe magiſtrum dicendi profiteri in animo habeat, ea ſibi in tempore & omni ſtudio paret, ne Arcas ad fides: qui autem abſque his hoc nobile magiſterium ambiet, aut repulſam patietur, aut turpiter ſe dabit; quod tamen

tamen in malis minimum. Graue enim in reprehensionem & indignationem bonorum incurrere, sed longè grauissimum, iuuentutem prodi: quod fieri necesse est, si aut negligantur aut malè erudiantur. Possunt in hoc genere plurimum doctores academici: nec est aliquid rectius, quàm vt in eo genere doctorum hominum valeat auctoritas. Nostræ porrò partes sunt, vt nec commodo, nec gratia, nec amicitia, nec propinquitate inducti, imi subsellii viros, id est, quos officium suum nunquam facturos prospicimus, ipsi accersamus, nec eruditionem falsa prædicatione cui affingamus, nec aliis in publicum malú cedendo suffragemur: non magis enim hominem doctum, quàm virum nobilem, mentiri aut adulari decet, cum neutrum in humili persona, ac ne in mediocri quidem mancipio feramus. Quin rogatus quisque sententiam, nõ quid vel ipse optet, vel alius, quamuis vel amicus, vel potens velit, sed quod publice expediat, non minus, quàm id momenti iuratus, quæ profore publicè putet, constanter ex animo dicat. Turpe est fateri, sed verum tamen, secus sæpe passim fieri. Cum autem & ephori alicubi sint, quibus summa negotii academici ab ipsis naucleris credita sit, quin eam curam bona fide gerant, dubitare nefas arbitror. Eorum enim honoris interest, vt ne quis iustæ querelæ locus relinquatur, sed cum cætera omnia rectè sint constituta, tum viri boni & bonæ doctrinæ copia quisque in sua disciplina probè instructi, iuuentutem doceant. Spontè ipsi in re tanti momenti non peccabunt: sed tamen

men ſapientes & cauti in errorem induci poſſunt, cum de ſexcentis vix aliquis omnium diſciplinarum dignitatem & rationes intelligat, nec de arte dextrè iudicet, niſi artifex. Quin ſiue pictorem quærimus, ſiue architectum, etſi eorum opera in ſenſus cadunt, & à quolibet etiam de vulgo iudicari videntur; ſi artificum eorum aliquo vti velimus, non proprio tamen iudicio nobis ſtandum eſſe remur; quin ex pluribus ſciſcitamur, quid cuique videatur: potiſſimum habemus, vt clarus aliquis artifex audiatur, qui tamen inuidia vacet. De moribus omnes cenſere poſſunt, in quibus aliquid morum aut elegantiæ aut honeſti opinio, deque iis audire quemque oportet, præter maleuolentiam: de arte poteſt non niſi artifex, aut qui nouerit pleraque quæ artis ſunt. Neque nihili putabimus teſtimonium famæ publicæ: neque rarò tamen & idipſum vel à ſpectatore, vel à poſteris, vel ab artifice falſi conuincitur. De vno hoc monere præ alijs volui: operæ precium enim judico, ne ea in re ſimus faciles, quæ ad ſalutem ex nobis ipſis natorum & communem pertinet. Etſi autem multa alia, ab hac conſultatione non aliena, diſpexeram: tamen libello finem ſiue modum imponere viſum fuit. Quicquid hoc eſt mei conſilij, rectum eſſe exiſtimo, & ſatis probaſſe me arbitror: opto, vt aut hoc ipſi, aut eo, quod melius ſit, magiſq; pro litteris & in rempub. vtamur in academijs.

IOAN.


IOAN. CASELII
IN
PHALEREVM SIVE DE
E L O C V T I O N E
Librum

P R O OE M I V M

Mag.

Mag.^{co} & generoſo domino

N I C O L A O K A A S, &c.



A N N O M.DC.XXXIII.

Mag.co, & generoſo domino,

NICOLAO KAAS, REGNI DANIÆ SENATORI, ET INCLYTI REGIS Cancellario, domino in Torup.&c.

S. D.

IOAN. CASELIVS.

QVAM tibi ego carus ſim, NICOLAE KAAS, tum ex re ipſa, tum ex tuis ad me litteris vidi, tum aliquoties è iucundis amicorum ſermonibus accepi. Etſi autem me propter litteras, quibus præditum eſſe multi opinantur, & tu quoque iudicas, (certe ne omnium rudis eſſem, ſemper operam dedi, & neque ingraueſcente ætate vllum genus liberalis doctrinæ contemno aut negligo) abs te ſincerè amari intelligo: tamen propter-

ea gaudeo, multoq; magis, quam si hæc causa tibi mei amandi non esset. Gaudeo autem duplici nomine, tum meo ipsius, tum ipsarum litterarum. His enim video in te esse multum præsidij. Et quis non gaudeat, se à quiuis bono amari? quis non magis gaudeat, se amari ab illustri, eoq; laudatissimo, & omni genere virtutis & doctrinæ cumulatissimo viro? quis non maximè, si suspicetur, aut etiam sciat, sui amandi caussas, neq; leues esse, neque falsas? Vt enim ipse de me moderatè sentiam, quod homine, erudito præsertim, dignissimum est; mihique nihil præ cæteris arrogem: tamen & studij incredibilis, quod posui in bonis artibus, mihi conscius sum, nec omnes labores frustra penitus me exhausisse iudico. Nam tametsi ipse non assecutus sim, quod voluerim, ingenuæ doctrinæ cum virtute coniungendę auctor exstiti pluribus: quin horum aliqui me ducem nacti, eo etiam forte ascenderunt, quo neq; mihimet ipsi licuit. Non de honoribus, nec de opibus, quæ ego nemini inuideo: sed de animi dotibus loquor, de quibus tamen etiam familiaribus

bus meis gratulor. Sed ad principium mihi redeundum esse intelligo. Cum tu olim mihi ostenderis tuum in me amorem, multis iisque certis notis; mei erat contra officij, meam in te obseruantiam, si qua re possem, testari. Neque tamen ipse hoc prorsus neglexi: & crebro apud me cogitaui, quemadmodum hac in re, cum tibi, tum mihi, satisfacerem. Gratas autem tibi fuisse meas litteras, etsi rariores, breuiores, incultiores, minus dubito: quia, quod certo scio, hominem diligis. Alterum erat, vt, quoniam doctrinæ gratia me amas, aliquod ingenij monumẽtum, & tanto viro dignum, nec meo nomine indignum, ad te mitterem. Nec tamen expectáris quid à me magnum, aut omnibus numeris absolutum. Datur equidem à me opera, & elaboratur sedulo: ne futilia, falsa, vilia, extemporanea, sordida, à nobis proficiscantur: sed pura, recta, vtilia, quamuis mediocria. An huiuscemodi te repudiaturum putem? Æquiorem te esse iudico, & spero munus litterarium etiam tenue non aspernaturum: certe voluntatem meam non improbaturum mihi

persuadeo. Tua igitur beneuolentia fretus, quod pluribus annis antè factum oportuit, lucubratiunculam quandam de elocutione, à me compositam, siue latinè meo arbitratu traditam, ad te mitto. Inscripsi autem PHALEREVM. Hic enim perelegantis huius, & ad legendum, si non primæ omnium, certè valdè necessariæ doctrinæ, vt non primus inuentor exstiterit: (tradita enim prius fuerat ab Aristotele & Theophrasto) certè fuit amator maximus & excultor diligentissimus. Quæ enim ipse expressit in dicendo orator eximius; eorum nobis reliquit præcepta pulcherrima, minimeque vulgaria: quod te quoq; iudicaturum confido. Etsi enim inscriptio nihil aliud, quàm rationem dictionis pollicetur. tamen hic alia sunt quoq; multa reconditioris doctrinæ, sine qua ipsa dicendi ars, mutila, nuda, prorsusq; inops existimanda est. Erat enim Phalereus non vnus aliquis è vulgo oratorum, sed & philosophus doctissimus, & gubernator reipub. peritissimus, vt eum omnium, quæ ad dicendum requirerentur, nihil fugeret. Nam & Theophrasti

phrasti auditor fuit, & ita meritus fuit de patria, in qua veterem popularem statum consilio suo fulciebat, & tuebatur, vt ipsi virtutis ergo trecentas statuas populus Atheniensis collocauerit: etsi tantum valuit inuidia & inimicitiæ publico nomine cum paucis potentioribus susceptæ, vt mortuo Cassandro, in Ægyptum in exilium abire necesse habuerit: illæq; quas dixi, statuæ trecentæ per tumultum omnes euersæ, & conflatæ fuerint vno die. Sed quid tibi ego hæc narro, viro omnis antiquitatis scientissimo? Patere vero, vt & alia attingam, quamuis nec ipsa tibi ignota: & tamen huc pertinentia. Sic enim plenius intelliges meum de huius ad te libelli mittendi consilium. Nam existimo, quidquid est, non te indignum, homine erudito & diserto, viro bono & sapiente, amante patriæ, ciue deniq; generoso vestri istius regni florentissimi. Non quidem de his omnibus, quæ illo pertinent, hic disputatur: neq; forte de primis: forte inter artes ciuitatis ceteras de parte minima. Qua mea verborum simplicitate non extenuaro munus hoc meum:

cum tute intelligas, quanti ſit hoc, quod ego perexiguum eſſe conceſſero: ſed idem non ſolum elegans & iucundum, verum etiam tum ſemper vtile, tum ſæpe neceſſarium. Boni enim & eximij ciuis partes eſſe quatuor accepimus, quas omnes tueri potuit & tutatus fuit hic Phalereus. Nec non eaſdem virtutes tribuit præ omnibus Pericli Græcæ hiſtoriæ princeps. Non enim requiris alia exempla, quorum copiam ex hiſtoria omnium locorum & ſeculorum & veſtri regni tibi eſſe in promptu ſcio. Verum Thucydides pænè iiſdem laudibus ornat Antiphontem: excepto amore patriæ, quod, ni fallor, primas ille partes tenebat in nouo ciuitatis ſtatu conſtituendo: cetero qui vir Athenienſium ſui temporis nemine inferior, ad cogitandum præſtantiſſimus, itemq; ad dicendum, quæ nouiſſet: vel ſi ipſum audire de hoc homine loquentem malis: ἀνὴρ ἀθηναίων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀρετῇ τε οὐδενὸς ὕστερος, καὶ κράτιστος ἐνθυμηθῆναι καὶ ἃ γνοίη, εἰπεῖν. Pericles autem ipſe ſine arrogantia, in concione ciues ſuos, grauiter obiurgans de ſe inquit: καί τοι ἐμοὶ τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργί-

ὀργίζεσθε, ὃς οὐδενὸς ἥσσων οἴομαι εἶναι, γνῶναί τε τὰ δέοντα, καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, φιλόπολίς τε, καὶ χρημάτων κρείσσων. ὅ, τε γὰρ γνοὺς, καὶ μὴ σαφῶς διδάξας, ἐν ἴσῳ, εἰ καὶ μὴ ἐνεθυμήθη. ὅ, τ' ἔχων ἀμφότερα, τῇ δὲ πόλει δύσνους, οὐκ ἂν ὁμοίως τι οἰκείως φράζει· προσόντος δὲ καὶ τοῦδε, χρήμασι δὲ νικωμένου, τὰ ξύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν πωλοῖτο. Quæ verba interpretabor, vt potero. Vos vero, inquit, ſuccenſetis mihi tanto viro, qui, mea ſententia, nemini cedo, ſiue rerum cognitione, quibus opus eſt, ſiue earundem explicatione, ſiue amore patriæ, ſiue contemptu pecuniæ. Etenim qui rem intelligit, neque tamen eam diſertè explicat; is mihi eodem loco eſt, quo qui cogitando nihil inuenerit: qui autem vtroque inſtructus eſt, & tamen haud benè vult ciuitati; non hic tamen æquè, quæ ad rem faciat, in medium protulerit. Quod ſi vero in quo etiam ſit amor patriæ, atque hic tamen pecuniæ pareat; ipſe cætera hoc vno vendat omnia. Ceterum in his immorari iam nolo, neque debeo, ad te ſcribens, ad quem neque his opus erat. Sed homines eruditi de ijs etiam ſæpe conferunt, de quibus

bus inter ſe ipſis antè conſtabat. In boni ciuis virtutibus facultatem dicendi eſſe, neutri dubium fuit. Eſt enim profectò inſtrumentum politices, adeo nobile, vt quibuſdam viſa fuerit ipſa ſcientia ciuilis, à qua tamen differt plurimum. Ipſa igitur ars non ſolum apud Græcos & Romanos in ſummo precio fuit, cui videlicet præ ceteris omnibus incumberent principes ciuitatis, ſed hodie quoque eſt in precio apud omnes gentes, quæ aliquam humanæ vitæ rationem colunt: quin credibile eſt, nullam omnium vſque adeo eſſe barbaram, in qua non aliquod ſtudium in dicendo ponatur. Videmur, ni fallor, ad ipſum natura duci ſiue cogi, ſicut & ad canendum. Omnes enim canimus & loquimur: ſed prout quis ingenio præſtat, & artem tenet, & in ea ſe exercet, ita egregius ille ſiue mediocris, vel muſicus eſt, vel orator. Sed ab arte dicendi non abeo longius, cuius quanta ſiue quantula pars hoc commentariolo contineatur; non eſt, quod te doceam: multi etiam putant, etſi longiuſculè à vero aberrant, in his omnem artem eſſe poſitam.

ſitam. Ipſe horum iudicio ſtandum eſſe non cenſeo, neque eorum auctoritate, cauſſæ ſeruiens, vtar ad ornandum hoc qualecunque munus. Nec vero hoc minus tibi gratum erit. Etſi enim hic nihil eſt, quod tu diſcas: quid enim horum te fugiat, hominem eloquentia præ ceteris ornatum? tamen & hæc legens, quædam tibi in memoriam rediges, & gaudebis, adoleſcentiam in hac quoq; parte politæ doctrinæ non negligi, atq; haud vulgarem in modum erudiri. Non enim dubito, quin tuis quoq; ciuibus auctor ſis, porro quoq; & animi excolendi & linguæ ſimul. Ego in vtroq; veſtros adoleſcentes confirmare ſoleo, & iuuare conſilio, ſi expetant. Laudo vero & admiror regni Daniæ proceres, qui duo nobiliſſima ſtudia colant, politicen & dicendi artem, exemplo veterum. Nam eodem pertinet, quod poëtas legitis & hiſtoricos. Vtriq; enim & linguam informant, & vitam, ſiue priuatim, ſiue publicè degendam. Nihil à vobis poterat fieri rectius, & ad beatam vitam tuendam accommodatius. Tenetis enim ibi principem locum, vt optimates, eſtiſq;

vt do-

vt docti homines loquuntur, κύριον πολιτείας. Itaq; in isto regno esse reges oportet: tyranno locus non est; nec quis à regio munere declinat: aut si quis fecit, ille statim rex esse desiit, & repentè, vt par erat, nullus fuit. Itaq; & hodie rege vestro Friderico, & nomine & felicitate secundo, quem summi honoris caussa nomino, merito nihil humanius, nihil vobis familiarius, cum sit summus regni ciuis, vobisq; non secus ac ciuibus vtatur. Sed mihi ad dicendum video nouum aperiri campum, quem non ingrediar. Iam enim visa tibi fuerit verbosior epistola: sed mihi forte vsu venit, quod multis, qui quanto infantiores sunt, eo minus exitum orationis inueniunt. Puta vero, quod ad te mitto, & quod scribo; hoc à mea tui obseruantia & tibi debita & singulari proficisci. Neq; porro me fugit, controuersiam esse, sit ne hic libellus, qui omnino aureolus est, nec natus in officina vulgaris cuiusdam magistri dicendi, Demetrij illius, de quo diximus, an alterius. De ea non necesse habeo aliud dicere, quam quod dixi paucis hisce versibus, quos tibi quoq; legere libeat.

Εἴτ' οὖν ἀληθῶς ἥδε τοῦ Φαληρέως
Ἡ βίβλος ἐστὶν, εἴ τέ του ἄλλου σοφῶν,
Κρίνειν ἐῶμεν τοὺς σοφοὺς, τοῦτ', εἰδότες,
Ὅτ' ὅστις ἦν ὁ συγγραφεὺς, οὐ φαῦλος ἦν,
Δεινός τε πράττειν, καὶ λέγειν εὖ, καὶ γράφειν.

Meum iam feci, vt ſcriptori non eripiam: tibi dono, vt noſtro beneficio omnes, aut certè plures habeant. Vale, Roſtochio, Kal. Maijs. Anno

CIↃ IↃ XXCVI

PHA-

PHALEREVS, SIVE DE ELOCVTIONE LIBER.

CAPVT I.

Continens prooemium, & quaenam ad artem dicendi requirantur.

PRIMVM locum habet in arte dicendi *inuentio, in qua probationes seu rationes persuadendi traduntur: quarum aliae dicuntur expertes artis, quoniam cum causa perueniunt ad oratorem, tractandae tamen sunt secundum praecepta artis: aliae sunt artificiosae: artificiosae porro sunt triplices. Aut enim probamus, quae dicimus, oratione, quod fit syllogismo rhetorico, qui enthymema dicitur; vel inductione rhetorica, quae exemplum: aut conciliamus nobis auditorum animos moribus nostris, nostra oratione expreßis: aut eosdem ducimus in affectum eiusmodi qui causae nostrae seruiat. Quod si verè iudicare velimus, anima orationis est enthymema; caetera omnia per se sunt superuacanea; sed necessaria tamen, & propter eos, quibuscum agimus, minimè superuacanea. Sic & altera pars, quae dictionem respicit & ordinem, necessaria est. Simul haec complector, vt ad*

vt ad superiorem partem relata; sed distinguo tamen: nec vtrumque modò explicandum suscipiam. Neque enim nunc dicemus de dispositione orationis, sed quædam de dictione, siue de elocutione à Demetrio Phalereo accepta, nostro arbitratu comprehendemus.

Σχόλιον. Res sunt & verba, quæ orationem conficiunt: sed agimus iam de oratione rhetorica. Cum autem verborum ratio non sit negligenda: prima tamen cura est habenda rerum. Itaque qui artem dicendi plenissimè tradidit, non admodum de verbis sollicitus, eam definit facultatem videndi in vnaquaque re, quod in ea insit accommodatum ad persuadendum. ἔστω δή, inquit, ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν. Ipsum autem artis nomen satis nos de verbis, quæ adhiberi oporteat, commonefacit: neque enim foret oratio, nisi res verbis repræsentarentur. Πίστεις autem siue probationes, quibus quod volumus confirmamus, aut confirmare conamur, sunt primum bipartitæ, vt modo diximus: αἱ μὲν ἄτεχνοι, αἱ δὲ ἔντεχνοι. Artificiosæ parantur ratione, suntque in triplici differentia. αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος, αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως, αἱ δὲ αὐτῷ ἐν τῷ λόγῳ διὰ τοῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. Quædam sunt in moribus eius qui dicit: quædam in eo, vt auditor aliquo modo afficiatur: quædam in ipsa ratione, quòd res vel demonstrentur, vel demonstrari videantur. At quomodo orator suis moribus fidem faciat? ὅταν οὕτω λεχθῇ ὁ λόγος, ὥστε ἀξιόπιστον ποιῆσαι τὸν λέγοντα. Si eiusmodi orationem dicat, qua ipse

fide

fide dignus exprimatur, hoc eſt, amicus, prudens, vir bonus. Qui enim tales ſunt, iis citius & facilius credimus de omnibus rebus ſimpliciter: prorſus vero de aliis, in quibus nihil exquiſiti eſt; ſed diſcrepantes ſunt opiniones. Quomodo iudicis ſiue cuiuſcunque auditoris animum afficiat? Si ipſum vi ſuæ orationis in affectum, ſiue aliquem animi motum turbidum perducat, aduerſario infenſum; ſibi ſuæque cauſſæ amicum reddens: ſunt enim hoc ingenio homines, vt eadem de re aliter exiſtiment, quando triſtitia, aliter, quando lætitia affecti ſunt, ſiue in eodem negotio aliter de iis, quibus bene volunt, valdeque amici ſunt, de aliis aliter, quibus infenſi ſunt, quoſque oderunt. De tertio genere fidei palam eſt, homines aſſentiri rationibus noſtris, vbi verum, aut, quod appareat verum, oſtendimus ex iis, quæ in qualibet re faciunt ad perſuadendum. Διὰ δὲ τῶν λόγων, inquit ſummus dicendi magiſter, πιστεύουσιν, ὅταν ἀληθὲς ἢ φαινόμενον δείξωμεν ἐκ τῶν περὶ ἕκαστα πιθανῶν. Fit autem hæc poſtrema πίστις διʼ ἐνθυμημάτων καὶ παραδειγμάτων. Ad illa autem, quæ attigi, cognoſcenda, non tenui neque puſilla doctrina opus eſt, ſed erudita & multiplici: quæ ex lacunis quibuſdam infimæ claſſis, vel nullius potius, ſcriptorum non poteſt, ſed ex fontibus veterum tum philoſophorum tum magiſtrorum dicendi hauriri debet. Illi enim ratione penetrarunt omnia, inprimiſque Ariſtoteles, cui ipſi etiam oratores in ſua diſciplina primas ingenue deferunt: horum partim in huius rei inueſtigatione

partem

partem potissimã vitæ consumpserunt, partim etiam ipsi excelluerunt eloquentia. Ex huiusmodi scriptoribus riuulos deducere rectum esse arbitror; idemque hoc consilium sequor, nec minus tamen huius nobilissimæ artis studiosos fontes ipsos accedere iubeo. Altera huius artis par est περὶ λέξεως, siue περὶ ἑρμηνείας; de qua hoc libello agetur. Tertia continet partium dispositionem, siue ordinem orationis: τάξιν vocant, siue οἰκονομίαν.

CAP. II.

De ambitibus orationis & primò de membris eorum.

SVNT *autem in hac parte præcipuæ partes duæ, quarum potior est de dicendi formis, altera de ambitibus orationis. De his priore loco agemus. Sciendum enim est, non vagari debere orationem nullis circumscriptam limitibus, neque esse instar stadij, in quo rectà curras, vel longißimè à carceribus ad metam; sed posse cum corpore comparari, quod suas partes siue legitima membra habeat. Ceterum cùm multa sint similia in oratione numeris ligata, & altera numeris soluta: cumque illius expoliendæ & perficiendæ priùs, quam huius studium fuerit, iccirco & Aristoteles, & magistri dicendi etiam alij, rhetoricam cum oratione poëtica sæpe compararunt: illam quidem ab hac accurate distinguunt; & tamen illius præcepta ex præceptis huius eruditè illustrant. Accedet etiam hinc aliquid lucis periodis. Quemadmodum poësis diuiditur in metra, neque refert ea siue longa sint, siue breuia, siue vnius generis, siue plurium: sic etiam orationem solutam diuidunt, ne vnum esse videatur, &*

tur, & distinguunt, vt facilius intelligatur, cola siue membra. Ea namque veluti sistunt orationem, & tum ipsa desinunt, tum in multis terminis orationem terminant. Quod nisi fieret, ipsa foret nimis longa, & finem non haberet, ac propterea dicenti spiritum intercluderet. Est vero membri, de quo hic agimus, proprium, vt conformet aliquando integram sententiam, aliquando integram sententiæ partem. Integra sententia comprehenditur hoc membro: In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliæ nostræ. *Hic tota sententia vno membro absoluitur, & tam sententia, quam membrum terminum suum habet, diciturq́; periodus vniformis.*

Σχόλιον. Inscriptio per se luculenta est, nec dubitari potest, quin per ἑρμηνείαν sit intelligenda oratio, qua animi nostri sensa exponimus. Comparationis autem ex arte poëtarum petitæ hæc est sententia. Vt numeris ligata oratio versibus, ita certis quoque membris prosa distinguitur. Vt etiam versus non semper vniusmodi, aut vniformes sunt: sic hæc etiam membra habent plerumque aliquam inter se dissimilitudinem, cum alia aliis sint breuiora, alia longiora. In poësi sunt alia hexametra, quæ longissima: alia dimetra, quæ breuissima. Itaque Phalereus vtriusque generis facere mentionem videtur, non excludens, quæ sint medii alicuius generis. Legendum putat Muretus διμέτροις, pro ἡμιμέτροις. Facit, ni fallor, ad hanc rem coniectura. Nec tamen quidquam muto, cum Scaliger & Victorius alteram lectionem, quæ reperitur in manuscriptis omnibus, retineant,

neant, viri longè doctiſſimi, ſummiq; iudicij, à quorum auctoritate non facile diſcedendum ſit. Dictum etiam fuit, membra perficere totam ſententiam: neq; id tamen perpetuum eſt. Aliquando enim membrum integram ſententiam non perficit, ſed perficit tamen ſententiæ integræ integram partem. Exemplo ſit manus: hæc totum quiddam eſt: ſuntq; manus totius totæ partes, nempe digiti & cubiti. Nam vnaquæq; harum partium propriam circumſcriptionem habet, ſuasq; viciſſim partes. Sic igitur etiam ſi ſit amplior aliqua ſententia; eius itidem partes quædam comprehendi poſſint, quæ & ipſæ integræ ſint. Obiter hic monendus eſt lector, ſcriptorem nomine manus vti, vt vtebantur veteres. Apud Hippocratem enim & Galenum χειρὸς appellatione id totum comprehenditur, quod à ſcapula ad extremitatem vſque digitorum porrigitur: brachium videlicet: eius ſunt tres partes, prima inter ſcapulam & cubitum, quod humerum omnes vocant: ſecunda cubitus, conſtans ex vlna & radio: tertia pars eſt, quæ proprie manus dicitur, conſtituiturq; brachiali poſtprachiali & ſummis digitis, vt anatomici docent, qui & ſic loquuntur, vt quos hic δακτύλους dicit, ſit ἀκρόχειρον, quos πήχεις, ſint βραχίων καὶ πῆχυς. Exemplum talis membri eſt hoc Xenophontis, initio ἀναβάσεως. Δαρείου καὶ παρυσάτιδος γίγνονται παῖδες δύο, πρεσβύτερος μὲν Ἀρταξέρξης, νεώτερος δὲ Κῦρος. Dareo & Paryſatidi nati ſunt filii duo, maior natu Artaxerxes, minor Cyrus. Omnis hic ſen-

tentia perfecta est, eius sunt membra duo: vnumquodq; est eius pars: aliqua sententia in vnoquoq; perficitur, proprium finem habens. Vt Dareo & Parysatidi nati sunt filij duo: perfecta hic est sententia per se: natos scilicet fuisse Dareo & Parysatidi duos filios. Sic etiam quod ad alterum membrum. Quapropter membrum, vt docuimus, sententiam aliquã continebit omnino, aut totã, aut partẽ totius totam.

CAP. III.

De iusta membrorum illorum longitudine.

OPORTET *autem non nimis longa membra facere. Hoc enim si facias, futurum est, vt tota compositio mensura modoq; careat, aut quæ dicantur animo assequi, & comprehendere non facile poßis. Hoc conuenire iterum apparet ex poëtica. Non enim faciunt versum longiorem sex pedibus, nisi quàm rarißimè. Heroici poetæ hipermetrum aliquando inserunt, vt:* Omnia Mercurio similis vocemq; coloremq; : *tamen etiam huic Medicinam faciunt, vt maneat hexameter. In Aristophanis comœdiis sunt paßim longiores. Rectè prorsus poetæ: quoniam perridiculum foret, si metrum, quod à mensura dictum est, mensura careat & sine modo vagetur, siq;, ipso tandem alicubi terminante, eius principium obliti fuerimus. Quare longitudo membrorũ non decet orationem, quod tum in ea mensura nulla erit: neq; decet eam breuitas, quod arida futura sit compositio, cuiusmodi fortè hæc sit:* Mentis parum, doctrinæ nihil, audaciæ satis, *Hæc enim videtur esse concisa, & in minutas particulas fracta, ac propterea, quod hic omnia*

pusilla sint, vilis quæq; meritò contemnatur. Neq; *tamen non aliquando membra conuenit esse vsitatis longiora, aliquando etiam breuiora. Locus est autem longioribus membris in rerum amplarum & diuinarum explicatione. Exempla sunt apud Platonem, in quibus cum magnitudine membri ipsa sententia, quæ oratione exprimitur, pæne attollitur. Ille enim in Politico, loquens de Deo, gubernante omnia (conabimur enim latinè interpretari) hoc membro, vsitatis non paulo productiore, vtitur.* Vniuersitatem enim hanc ipse nonnunquã procedentẽ ducit suis vestigijs, & contorquet Deus. *Quare & longißimus versus apud poetas dicitur hexameter & herous, prorsusq; conuenit heroibus: neq; quis Iliadem Homeri minutis Archilocheis, quamuis acribus, aut imbellibus Anacreonteis scribens, decorum obseruaret. Anacreontis enim numerus est temulenti senis, non præliantis herois. Itaq; ridiculi sunt posteriores Græci, qui corrupta lingua Iliadẽ in pusillos versus redegerunt. Hinc igitur apparet, longiorum membrorum nõ esse crebrum, sed aliquando tamen vsum; vbi non solum reprehendi nõ debeat, sed etiam magnopere probari. Breuibus porro locus erit primũ, si de re pusilla dicendum sit vt si de pulice Indico dicas:* Nigua pulicellus est, rostello acuto, pedes perforat. *Hic vna cum paruitate & concisione numeri apparet paruitas bestiolæ & acres eiusdem arrosiones. Contra periret decorum, & frigida foret narratio, si extenso membro referas:* Nigua in ceteris pulicum generibus facile minima est, sed tamen rostro peracuto armata, quo sub vnguibus perrumpens pedes perforatos laniat. *Hæc multis modis frigida sunt, quod infra magis apparebit, cum agemus de frigore orationis. Secundum vsum habent minuta mem-*

bra in acri vel graui dicendi nota. Quod in angusto loco magnum apparet, id est acrius & vehementius, vt auri aliquantulum præ grandi aceruo æris. Itaq; euenit vt Lacones, quia grauia, in quibusq; pondus inesset, dicerent, non multi sermonis essent. Hinc Laconismus dicitur ea breuitas quæ nihil omittit quod ad rem pertineat. Tertiò quod concisum est & breue, etiam conuenit imperanti. Proinde dicitur seruo herus esse vnius syllabæ: hoc est, vno verbo domini seruis, quid velint, significant, sæpè etiam tantum nutu. Contra supplicare longum est: item plorare. Quare, vt Homerus canit, Litæ, id est, preces, sunt & claudæ, & rugis obsitæ, propter tarditatem. Propterea senes longos sermones instituunt propter imbecillitatem. Exemplum breuis compositionis est epistola Lacedæmoniorum, in qua ad Philippum non nisi hæc duo verba perscripserant: Dionysius Corinthi. *Hoc ita breuiter elatum videtur multò vehementius, quam si id longius produxissent, hoc modo:* Erat olim Dionysius ita potens tyrannus quemadmodum tu es, nihilominus hodie priuatam vitam colit, Corinthi habitans. *Neq; enim, iam quod ita multis verbis expositum fuit, animum eius grauissime percelleret; sed esset simile narrationi, qua qui vteretur, docere, non perterrefacere videretur. Tali enim porrectione dissoluitur iracundia & vehementia orationis. Vt autem belluæ, vtpote caper, vbi se contorserint, præliantur: talis est orationis conuersio, in gyrum se colligentis ad vehementiam. Ceterum hæc in compositione breuitas, siue ita breue membrum, non amplius membrum est, sed incisum appellatur, quale est, de quo ante:* Dionysius Corinthi. *Sic,* Nosce te ipsum: Deum sequere: *aliaq; sapientum dicta. Est enim apophthegmatum & sententiarum bre-*

uitas:

uitas: putandum quoq; maioris sapientiæ, si in perpauca verba plurimum sententiæ conferas: erit autem hoc vt pusilla semina totarum arborum vires in se continent. Quod si quis contrà sententiam longiore sermone extendat, loco sententiæ doctrina nascetur, veluti philosophi, aut ostentatio orationis.

Σχόλιον Præcepta sunt in promptu, iustam oportere esse membrorum longitudinem: non sint æquo productiora, neq; nimis breuia: tamen interdum & prælonga & perbreuia locum habent: quibus locis item ostensum est. Supra modũ breuis membri exemplum adscripsimus, cuiusmodi in mentem venit. Hippocratis hoc est, qui scribendo tamen se nihil minus quàm oratorẽ aut artis huius studiosum profitebatur: ὁ βίος βραχὺς, ἡ τέχνη μακρὰ, ὁ καιρὸς ὀξύς. Vita breuis, ars longa, occasio acuta. Platonis autem verba, quæ nos exprimere ad sententiam simul & ad numeros ipsos non potuimus, hæc sunt: τὸ γὰρ πᾶν τόδε ποτὲ μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς ξυμποδηγεῖ πορευόμενον, καὶ ξυγκυκλεῖ. Ex Archilocho, ἀχνυμένη σκυτάλη: sunt fortasse litteræ luctuosæ. Non ignotum, cuiusmodi fuerit scytale Laconica. Eius alter versus extat etiam apud Hephæstionem, cum antecedente: πάτερ λυκάμβα ποῖον ἐφράσω τόδε; τίς σὰς παρῄειρε φρένας; Apud Phalereum παρήειρε legitur. Quid enim vetat indicare diuersitatem lectionis, & eruditorum coniecturæ locum relinquere? Hoc autem dicit, ni fallor: Pater Lycamba, cuiusmodi verbum prolocutus es? quis mentem tibi eripuit? Anacreontis alter versus est: φέρ' ὕδωρ φέρ' οἶνον, ὦ παῖ: planè eo genere

minuto, quo nostro tempore huius poëtæ odæ aliquot editæ fuerunt, quæ præter vinum & amores nihil sapiunt, vt & Phalereus eius numeros temulenti senis, non præliantis herois, & Cicero omnem eius poësin amatoriam, rectè iudicarint. Exemplum breuis membri & apti de Nigua, cuius notitia auorum nostrorum memoria ex altero orbe in hunc nostrum peruenit, posuimus. Vbi est de Teleboa fluuio, in ea prouincia, cui Tiribazus præerat, ex ἀναβάσεως Xenophontis quarto. οὗτος δὲ ἦν καλὸς μὲν, μέγας δὲ οὔ Teleboas pulcher erat, nec magnus tamen.

In Laconicis est etiam breuitas laudata: exempla sunt in apophtegmatis, quæ qui volet, cumulare, nec sine fructu, possit. Id sibi Lacones studio habebant, vt acutè dicerent: inde fiebat, vt breuiter dicerent. Hoc enim est λακωνίζειν non vno atq; altero verbo vti, sed paucis res magnas explicare, vt D. Nazianzenus ad Nicobulũ scribit. Τὸ λακωνίζειν οὐ τοῦτό ἐστιν, ὅπερ οἴει, ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ περὶ πλείστων ὀλίγας.

Imperantium quoq; est breuitas & prorsus πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος. Longinus etiam magister dicendi eximius & acerrimus censor scriptorum, Mosen laudat, qui verbo omnia condidisse memoriæ prodiderit. Ταύτῃ, inquit, καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ θεὸς, φησὶ, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο: γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο: etsi monumenta Mosis nequaquam hausta sunt ex humanæ sapien-

pientiæ aut eloquentiæ fontibus. Supplicationum longitudinem è Litis Homericis, quæ ſunt Λ. I. confirmat. Ibi enim Ate valida eſt & pedibus velox, quæ Litas curſu facile præteruolat. Litæ autem ſunt claudæ, rugis obſitæ, ſtrabis oculis, magno ſtudio ſequentes Aten. χωλαί τε ῥυσαί τε παραβλῶπές τ᾽ ὀφθαλμώ, Αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθ᾽ ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι. Ait eas Demetrius χωλὰς καὶ ῥυσὰς ὑπὸ βραδυτῆτος, τοῦτ᾽ ἔστιν ὑπὸ μακρολογίας: ſed eruditum quoque eſt vetus ſcholion, quo tardæ dicuntur, quod tergiuerſentur etiam, & vix tandem ſupplicent. χωλαὶ μὲν διὰ τὸ μόγις εἰς δεήσεις ἔρχεσθαι; ῥυσαὶ δὲ διὰ τὸ σκυθρωπάζειν: παραβλῶπες δὲ, ὅτι παρειδόντες τι τῶν ἀναγκαίων, παρακαλοῦμεν ὕστερον. De commatis ſiue inciſis ipſa ſunt membra, ſed minuta membra. Neque enim omnia membra ſunt inciſa, ſed ex inciſis, etiam pluribus vnum membrum conflari poteſt.

Cap. IV.

Quid ſit ambitus ſeu periodus orationis.

PORRO *ex hiſce partibus, videlicet è membris & inciſis eiuſmodi inter ſe compoſitis conſtantur quæ dicuntur periodi ſiue ambitus orationis. Periodum interpretatur M. Tullius in Oratore, ambitum, circuitum, comprehenſionem, continuationem, circumſcriptionem, etiam quaſi orbem verborum. Eſt enim periodus coagmentatio è membris & inciſis volubilibus, ad ſubiectam ſententiam adæquata, vt hæc Ciceronis ex Miloniana de Clodio.* Niſi eum Dii immortales in eam mentem impuliſſent, vt homo effœminatus fortiſſimum

mum virum conaretur occidere; hodie Rempublicam nullam haberemus. *Hæc enim periodus tum trimembris est, tum flexionem aliquam & conuersionem habet in fine. Facile vero est singulatim hæc tria membra discernere, & aduertere, quemadmodum postremum reflectatur & respiciat ad priora, illumque orbem conficiat, illaque omnia plenam sententiam reddant. Neque enim pendet sententia, & ipsa periodus cum ea vna absoluitur. Aristoteles autem ita definit periodum.* Periodus est dictio, quæ & principium & finem habet. *Definit equidē egregiè & conuenienter. Statim enim, vt nominat periodum, patefacit, quod initium alicubi fecit, & facit desinere, & contendit ad aliquem finem, vt cursores, vbi missi fuerint è carceribus: namque horum & ipsi carceres apparent, & simul curriculi meta. Inde & periodus nomen adepta est, quod confertur cum viis rotundis & in orbem euntibus. Prorsus enim periodus nihil aliud est, quàm alicuius modi compositio. Quare, si, quod in ea in orbē vertitur, soluatur & alio modo componatur; manent res eædem, sed periodus non erit. Vt si quis superiorem Ciceronis periodum euertat hoc modo.* Aliquam hodie habemus Rempublicam. Homo enim effœminatus fortissimum virum conatus fuit occidere. Nam Dii immortales ipsum in eam mentem impulerunt. *Neque enim hic amplius vlla apparet periodus.*

Σχόλιον. Duæ ponuntur periodi definitiones. Prior est Demetrii. περίοδός ἐστι σύστημα ἐκ κώλων καὶ κομμάτων εὐκαταστρόφων, πρὸς τὴν διάνοιαν ὑποκειμένην ἀπηρτισμένον. Nam ostensum est antè, talem ambitum orationis è membris & incisis, quoniam membra ex incisis conflantur, coagmen-

coagmentari. Oportet autem illa esse εὐκατάστροφα, vt sibi inter se flexionibus commodis respondeant. Denique hæc tota compositio erit accommodata ad subiectam sententiam, quam concinnè exprimet. Altera definitio producitur ex Aristotelis III. de arte dicendi, vbi sic philosophus: λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν, αὐτὴν καθ' αὑτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. Ambitum, inquit, voco, locutionem, quæ principium & terminũ habet, ipsa per semetipsam, & magnitudinem, quæ facile cerni queat. Ait esse orationem, non annexam superiori, sed à præcedente distinctam. Sic enim habet suum initium. Nec tamen longitudinem iustam excedit. Habet igitur & finem suum. Id autem ipsa per se, ne integra quæpiam narratio, sed vt sententia hunc ambitum perficiat. Longitudo denique iusta ea est, quam auditoris mens queat videre, ne si quaquàm plurium quàm longissimorum simul membrorum torqueatur, auditor primorum oblitus sit, cum postrema auribus accipit. Hoc appellat μέγεθος εὐσύνοπτον. Ait vero in hoc genere, nempe in periodis, esse suauitatem & docilitatem. Iucunda enim est hæc oratio, quæ aduersatur ei, quod infinitum sit (hoc enim profectò iniucundum menti, vt quod contuearis, longissimè remotum ab oculis: quod vt cupias, quid sit cognoscere, non assequaris, & ipsos oculos lædas) & quia auditor semper se aliquid accipere & tenere putat, cum semper ei aliquid terminatum sit. Præsentire vero, nihil tibi esse, neque te proficere, iniucundum

cundum est. Hoc igitur iucundum. Quod ad εὐμάθειαν, & hoc patet, quoniam facile memoriæ mandatur. Hoc vero, quoniam periodica locutio etiam numeros habet. Hæc autem res plurimum facit ad quippiam memoria custodiendum. Ita fit, vt omnes magis meminerint versus, quàm solutam orationem. Versus enim numeros habent, quibus mensurantur.

CAP. V.

Vnde generentur periodi, & quæ sit oratio periodica, quæ diuisa.

QVOMODO *vero generetur, iam aperiemus. Non vna est elocutionis ratio. Alia est contorta, alia distincta. Contorta siue tortuosa, cuiusmodi composita est ex periodis, vt scriptorum Isocratis. Gorgiæ, Alcidamantis. Ea enim constant perpetuis periodis non minus, quàm poësis Homeri meris hexametris. Sed qui heroos scribunt aliud sequi non possunt. Consilium de continuatione periodorum oratores sequi nequaquam debent. Diuisam elocutionem dicimus, solutam in membra, non admodum inter se apta. Facit enim aliquando sententia, vt leuiter inter se cohæreant & casu quædam coëunt, quæ arte connexa videri poßint. Hoc genere elocutionis vsi sunt Hecatæus, & vtplurimum Herdotus. Quin eius exemplum sunt perpetuum, scripta veterum, qui nondum omnia, quæ ad expoliendam orationem pertinerent, tanto studio inuestigauerant. Periodis concludere epistolas familiares minus conueuit. Itaq; huius diuisæ orationis exempla multa peti possunt ex epistolis M.T. ad Atticum, cuiusmodi & hoc est.* Plane deest quod scribam.

bam. Nam nec, quid mandem, habeo. nihil enim prætermissum est. Nec quid narrem. noui enim nihil. Nec iocandi locus est: ita me multa sollicitant. Tantum tamen scito, Idib. Maj nos Venusia proficiscentes has dedisse. Eo autem die credo aliquid actum in senatu. *Hæc non admodum cohærentia, videntur esse inter se coaceruata membra & disiecta, cum non habeant connexionum in semetipsis, neque vnum ab alio fulciatur nec vnum alteri subueniat, quemadmodum fit in periodis. Quare membra periodica sunt similia lapidibus, qui rotunda tecta mutuo fulciunt & coarctant, cuiusmodi in orbem condita fana aliquot hodie post tot sæcula Romæ videre est, inprimis illud nobile maximeque integrum templum, quod Pantheũ dictum fuit. Contra dissolutæ elocutionis membra similia sunt lapidibus disiectis, minimeque inter se compositis, vnde & prisca illa elocutio habet paßim expolitum quiddam & succinctum, quemadmodum & antiquæ statuæ, quarum ars videbatur contractio & tenuitas. Sed altera, quæ deinceps tentata & perfecta fuit elocutio, comparari iam potest cum operibus Phidiæ, cum habeat simul & magnificum aliquid & exquisitum. Disceßit autem hic Demetrius, cuius præcepta nos tradere profitemur, aliquantulum non à re ipsa, sed à modo loquendi Aristotelico. Hic enim partitur orationem in iunctam & in se conuersam. In se conuersa, est periodica. Iuncta, quæ non ambitibus colligatur, sed tantum iungitur copulis, quarum adminiculo quasi perpetua est, neque finem habet antè, quàm tota res finiatur. Apparet rem eodem redire, vtro modo loquamur. Periodicam orationem Aristoteles & Demetrius in se conuersam seu*

contor-

contortam nominat. Non periodicam, quæ arte in orbem acta non sit, diuisam, quod quasi omnia membratim seu particulatim dicerentur, nominandam putauit Demetrius, quam alia de causa dixerat Aristoteles iunctam, quia sententiæ non essent periodos distinctæ, sed à rei principio ad finem cohærerent, vt paulo etiam antè indicatum est. Hinc igitur videre est, vnde generentur periodi, vel quod natæ sint ex membris, quæ cum dissiparent, vel ordine recenserent prisci scriptores, ea qui secuti sunt, contexere magis cœperunt.

Σχόλιον. Primi è scriptoribus non construebant ambitus, sed rudis erat eorum oratio, nisi si fortè exciderint. Quod animaduersum fecit, vt aliquid paullatim curæ adhiberetur, & tandem eos arte coagmentarent. Oratio carens periodis est διῃρημένη, diuisa, diuulsa in partes non magnas quàm plurimas, constans ex perpetuis membris, nulla inter se arte connexis. Aristoteli est εἰρομένη καὶ τῷ συνδέσμῳ μία: tractam Turnebus interpretatur, Sigonius fusam, Victorius textam siue iunctam & coniunctione vnam. Hæc per se terminum nullum habet, nisi res, quæ explicatur, ipsa iam terminetur. Est instar perpetui fluminis, si comparetur cur periodica. Cum eadem διῃρημένη? Dictum est: cum arte connexa non sit, similis est disiectæ. Periodica autem est κατεστραμμένη, siue conuersam, siue contortam, siue tortuosam, siue in se reuolutam dicamus. Hæc contexta est, ac si mēbra inter se arte contexantur: illa texta, ac si membra membris attexantur, nulla eorū inter se artificiosa fiat implicatio.

CAP.

CAP. VI.

Vtra oratione maximè vtendum sit, & quod vtraque miscendi.

SED posteaquam elocutionis duplex discrimen tradimus, iamque apparet periodicam arte fieri; sequitur vt ostendamus, vtra potius vtendum sit, vel potius, quia hæc alteri non iniuria anteponitur, an idcirco semper ea vtendum sit, vetusta illa nusquã. Neutrũ probamus, neque vt vniuersa oratio ex periodis condis connexa sit, quemadmodum Gorgiæ esse meminimus; neque vt dissoluta sit, vt illa veterum, sed potius, vt ex vtroque genere misceatur. Fiet enim hoc pacto, vt etsi arte facta; tamen etiam simplex sit oratio; item suauis, quoniam ex vtroque genere. Neque etiam nimis popularis, neque nimis sophistica. Primum namque artis est, aptè vtrunque miscere, seu variare. Deinde videbitur esse simplex oratio, id est eius, qui non aliud simulet quam dicat, quoniam membra erunt non pauca, cuiusmodi quiuis ex populo facere videatur. Suauitatem vicißitudo parit, cum contrà quæ vnius modi sunt ingrata sint. Non erit etiam velut idiotæ; quod opus est, si admirationem mouere debeat, quando ambitus arte facti sunt. Neque erit veluti sophistarum, quæ ad persuadendum minus est idonea, tum, quia suspecta auditori, tum, quia, si vel eam miretur, non aduertat in rem ipsam tamen. Accedit præterea ex perpetuo vsu periodorum non parum incommodi & oratori & auditori. Qui enim eas pronunciant, capita nunquam tenent firmiter, sed semper circumagunt, quemadmodum temulenti, quod perquam deforme est. Qui audiunt periodos perpetuas, auersantur

uersantur & animi quadam nausea, veluti eundem cibum fastidiunt, præsertim cum talis ratio minimè apta sit ad persuadendum: nonnunquam etiam terminationes periodorum præuisas animo (quod facilè fit, vbi auditoris aures ad periodorum numeros sint assuefactæ, non minus, quàm cum versus pronunciantur, quorundam postremi pedes animo prouidentur) efferunt; & alta, si libeat, quandoque voce edunt.

Σχόλιον. In compositione orationis non probatur periodorum perpetuitas; quam affectabant non solum primi sophistæ, sed etiam ipse Isocrates, quod omnibus ornamentis absolutissimæ orationes testatur: neq; membrorum continuatio, nullis conclusis periodis. Quid igitur? misceatur ex vtroq; genere, ne sit planè plebeia, neque nimis erudita. Nam plebeiam contemninus, tanquam nihili; nec in eam animum aduertimus; eruditam siue nimis pictam auersamur, vt suspectam. Omnes simplicem magis amplectuntur: admirantur etiam aliqua arte fabricatam. Hæc est ἐγκατάσκευ⊙. Nec tamen sit ars nimia aut perpetua. Hoc verò etiam graue est ipsis oratoribus ad componendum, quoniam periodi non ex tempore confluunt, & ad pronunciandum, quoniam lingua & capite laborandum est: præterquam quod fastidiunt auditores, vt ingratos cibos consueuimus etiam finem ambitus sæpe sine voluptate præuident, quod didicerunt ex crebritate clausularum, cuiusmodi est, esse videatur.

CAP.

CAP. VII.

De periodis vnimembribus, bimembribus, trimembribus & quadrimembribus.

DIVIDAMVS *porrò periodos ex membris, quoniam ex ijs componuntur. hac enim ratione iustam earum magnitudinem cognoscemus, ne sint iusto breuiores aut longiores. Sunt igitur aliæ bimembres, aliæ trimembres, aliæ quadrimembres. Quæ autem ex pluribus membris, quàm quatuor conflata sit, ea minimè intra iustam periodi mensuram maneat. Sunt verò etiam quædam vnimembres periodi, quæ simplices vocantur. Quando enim membrum & longitudinem & flexionem quandam habet in extremo; vnimembris periodus efficitur: cuiusmodi hoc est:* Luculenta oratio magnum lumen adfert auditorum animis. Item; Qui amicos negligit; non habebit rationem hospitum. *Hæc incisa non sunt, quorum maximam esse breuitatem antè monuimus: neq; sunt simplicia membra, quoniam longitudinem atq; etiam flexionem habent. Quare rectè numerantur in periodis, cum habeant longitudinem & flexionem, veluti orbem. Debent autem non alterutrum, sed vtrunq; horum habere vnimembres periodi. Reliqua genera sunt composita. Compositarum verò periodorum membrum vltimum longius esse oportet, vtpote quod contineat & amplectatur cætera. Sic enim periodus erit magnifica & grauis, si graui longoq; membro terminetur; sin minus, incisa erit, claudæq; similis. Eius hoc est exemplum:* Non enim benedicere præclarum est: sed si, qui dixerit, ipse facit, quæ dixerit. *Minimè igitur vltimum sit*

prioribus breuius, ne periodus claudicet, sed si par sit, ferri poßit, quod nihil dum animaduertatur vitij. Sed rectißimum fuerit, vt sit longius, quoniam ita perfectum erit, neq; dignitate sua carebit.

Σχόλιον. Tradita igitur est periodorum diuiſio, quam neq; philoſophus negligit: tamen eam bipartitam initio facit. Periodus, inquit, alia conſtat membris, alia ſimplex eſt. Quæ membris, conſtat perfecta eſt, & diſtincta, & εὐανάπνευστος, id eſt, ſpiritu pronunciantis ſine difficultate comprehendi poteſt: neq; tamen id ob diſtinctionem aliquam ſed tota, Simplicem autem ſiue ἀφελῆ vocat, quæ conſtat vno membro. Neq; tamen omne vnum aliquod ſolum membum periodus eſt. Hoc enim ſi admodum breue ſit, vel comma erit, vel certè non niſi membrum, non autem periodus, niſi aliquanto ſit productius. Ad longitudinem accedere prope finem etiam flexionem oportet: quod, ni fallor, citius fit, ſi ipſum conſtet ex inciſis. Exemplorum prius ex hoc græco expreſſum eſt. ἡ γὰρ σαφὴς φράσις πολὺ φῶς παρέχεται ταῖς τῶν ἀκουόντων διανοίαις. Καμπὴν puto eſſe, cum reſpicit priorem partem, vel numeroſè cadit. Plurium porrò membrorum periodi eruntaut bimembres, aut trimembres, aut quadrimembres. Nam membra, & periodos, μήτε μειούρους εἶναι δεῖ, μήτε μακράς, neq; mutilas eſſe, nec longas oportet. In puſillo auditor quaſi pedem figit, ſiue impingit, cui moleſtiæ deinceps eſt non vlterius progredi, nec pluſculum, quantum velit capere, & quantum ſatis ſit: in longo defatigatur,

gatur, non assequens antecedentem longius, quod & ipsum ingratum est, nempè à tergo relinqui. Horum vtrumq; cum dicenti fraudi sit; ipsum quoque fugere oportet, & cum membra, tum ambitus facere certi modi, siue iustæ magnitudinis. Ita futurum est, vt pleræque è tribus, quatuorue membris construantur: rarissimè è pluribus. Qua de re & Ciceronem in Oratore audiamus, præ cæteris probantem περιόδον τετράκωλον. Constat enim, inquit, ille ambitus & plena comprehensio, è quatuor ferè partibus, quæ membra dicimus; vt & aures impleat, & neque breuior sit, quàm satis sit, neque longior, (quanquam vtrumque nonnunquam, vel potius sæpe accidit, vt aut citius insistendum sit, aut longius procedendum) ne breuitas defraudasse aures videatur, neue longitudo obtudisse. Cæterum, vt in compositis periodis, longitudine inter se membra respondeant, etiam consideratio periodorum, in lectione eximiorum oratorum, nos docebit. De his & hæc regula, vt vltimum membrum longius sit. Vt hic: οὐ γὰρ τὸ εἰπεῖν καλῶς, καλόν: ἀλλὰ τὸ εἰπόντα δεῖξαι τὰ εἰρημένα

Cap. VIII.

De periodo historica dialogica & rhetorica:

PRo *ratione quoq; rerum, quæ exponuntur periodis, tria sunt periodorum genera. Est enim alia periodus historica, alia dialogica, alia rhetorica. Historica, quæ neq; circumagitur, neq; nimium remittitur, sed media*

est inter hasce, vt neq; rhetorica esse videatur, neq; ad persuadendum inepta, si ita circumacta sit: tamen suam habeat dignitatem & fidem historicam ex simplicitate. Quo enim plus artis in historica periodo adhibitum fuerit, hoc citius erit suspecta narratio. Valet enim hic maximè, quod Euripides dicit: Veritatis simplex est oratio. *Talis est periodus illa Xenophontis:* Dareo & Parysatidi duo erant nati filij: eorum maior natu Artaxerxes, minor vero Cyrus. *Vltima enim clausula quasi quædam solida & firma terminatio est: initio tamen nihil potuit fieri simplicius, vnde futuram periodum nemo conijceret, & nihilominus natam qualemcunq; videmus. Sed longè alia ratio est periodi oratoriæ. Huius namq; forma contorta est & circularis, vt in ea pronuncianda ore sit rotundo opus, & manu, quæ cum numeris circumagitur. Vt exemplum, quo ante vsi sumus.* Nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, vt homo effœminatus fortissimum virum conaretur occidere; hodie rempublicam nullam haberemus: *propemodum enim statim à principio huiusmodi periodus nonnihil habet contortum, quodq; præ se fert, desituram orationem inchoatam in finem non simplicem. Tertia est dialogica, ipsa etiam remissa & simplicior historica, ita vt vix appareat periodum esse. Talis est initio librorum Platonis de republica.* Descenderam heri cum Glaucone Aristonis filio, vt precarer deam; deinde vt spectarem, quemadmodum diem festum agerent, quem modo primum agere instituissent. *Proiecta enim sunt membra vnum in aliud, vt in oratione dissoluta, vbi scilicet accuratæ connexionis & numerorum nulla fuit habita ratio, atq;*

vbi

vbi terminauerimus, vix in extremo animaduertimus, quod dictum est, esse periodum. Oportet enim periodum hanc scribi media quadam ratione, quæ sit inter locutionem diuisam & contortam, & æquè ex vtraq; mistam. Tot sunt periodorum species.

Σχόλιον. Etsi vsus periodorum potissimus est oratoribus, vt qui maximè student elegantiæ & perfectioni dicendi: tamen neque alii scriptores, vt qui res gestas memoriæ mandant, aut sermones de rebus grauibus habitos à viris præstantissimis conscribunt, eas prorsus negligunt: neque tamen oratorium in modum vsurpant. Hinc igitur nascitur, è materia videlicet diuersa, noua illa consideratio & diuersio periodi. Alia enim est ῥητορικὴ, exquisitissima videlicet: alia ἱστορικὴ, ad hanc accedens proximè, quæ ne quidem omnes perfectionis numeros requirat: alia διαλογικὴ, affinis quotidiano sermoni, sed tamen aliquid in compositione ab arte petens. Locus Platonis initio librorum de republica hic est. Κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος, προσευξόμενός τε τῇ θεῷ, καὶ ἅμα τὴν ἑορτὴν βουλόμενος θεάσασθαι τίνα τρόπον ποιήσουσιν, ἅτε νῦν πρῶτον ἄγοντες.

CAP. IX.

Quomodo periodus concinna fiat ex membris oppositis.

IAM *quò earum compositio sit facilior, concinnas fieri ex membris oppositis sciendum est, idque tribus modis. Opponuntur enim in membris, vel res solæ, vel res*

& dictiones, vel sola nomina. Res tantum opposita sunt in hoc exemplo. Constituendum tibi censeo prius otium domi, quàm expeditionem aduersus hostes suscipias. *In sequenti & res & verba*: Cum sapienter ciuibus otium domi constituisset; fortiter bello foris hostes adortus est. *Huc magis pertinere existimarem locum ex panegyrico Isocratis de Xerxe*: Non queuit rex ille magnus antè, quàm & rationem inuenit, & rem eo vi adduxit, quod in ore omnibus est, vt cum exercitu nauigarit terram, pedibus ambularit mare, Hellesponto ponte iuncto, Atho perfosso. *Opponuntur res; nauigare terram, pedibus mare transire; iungere Hellespontum, perfodere Athon: Opponuntur verba; nauigare, ambulare; terra, mare; Hellesponto, Atho; iuncto, perfosso. Exemplum, vbi tantum membra opposita sunt ratione nominis hoc sit, redditum ex encomio Helenæ.* Iupiter laboriosam & discriminis cupidam vitam Herculi constituit, Helenæ naturam illustrem & expetendam fecit. *Hic nomina opponuntur tantum, prorsusque omnia, quod ex comparatione Græcarum dictionum magis apparet. Nomini, vitam, respondet nomen, natura: nomini, laboriosam, alterum illustrem: nomini, discriminis cupidam, alterum, expetendum: dictioni constituit, dictio, fecit: denique hic est vnius ad alterum, similis ad simile redditio. Sunt verò etiam membra, quæ, licet re ipsa opposita non sint; tamen quandam contrarietatem præ se ferunt, quia composita sunt ea forma, qua connecti contraria solent; cuiusmodi est hoc Epicharmi ludicrum.* Tum apud eos ego eram, tum eram cum iis ego. *Falsa est, vel nulla potius membrorum oppositio,*

ſito, quoniam bis idem dicitur, neque quidquam in poſteriori eſt, quod contrarium ſit priori membro. Mixtus eſt autem hic elocutionis modus, quoniam partim nihil habet contrarium, partim habere videtur: qui fortaßis incautum & oſcitantem in errorem induxerit. Sed Epicharmus fortaſſe huiuſmodi oppoſitionem nihili & falſam fecit, tum vt riſum excitaret, (ridicula enim ſunt, in quibus ars fruſtra affectatur, quod apparet è ſimiis) tum vt oratoribus illuderet. Ipſorum enim perpetuum talium rerum ſtudium inane prorſus eſt, atque ita potiſſimum, ſi non parem, vel multo maiorem, primamque adeò diligentiam in rebus atque argumentis collocent. Quare & paßim eloquentißimus ipſe Plato ſophiſtas eo nomine deridet, qui, cum minimum intelligerent, neque ſerio in ſapientiæ inueſtigatione verſarentur, pingere orationem ſuam omni ratione ſtudebant, neque tamen tantum ipſi modum excedebant, ſed ab arte non raro etiam aberrabant.

Σχόλιον. Res plana eſt, periodos fieri ἐξ ἀντικειμένων κώλων, ἀντικειμένων δὲ, ἢ μόνοις τοῖς πράγμασιν, ἢ μόνοις τοῖς ὀνόμασιν, ἢ τῇ τε λέξει καὶ τοῖς ὀνόμασι. Locus autem Iſocratis ex Panegyrico adducitur: πλέων μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεύων δὲ διὰ τῆς θαλάσσης. Sed ipſa oratoris verba ſunt, quæ & Ariſtoteles profert: nos paulo altius repetita ponemus: οὐ πρότερον ἐπαύσατο πρὶν ἐξεῦρε καὶ συνηνάγκασεν, ὃ πάντες θρυλλοῦσιν, ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης, τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δὲ Ἄθω διορύξας. Quæ Cicero in extremo ſecundi de finibus ſic expreſſit ad ſuam diſputationem accommodata. Vt ſi Xerxes, cum tantis claſſibus, tantiſque equeſtribus ac pedeſtri-

ſtribus copiis, Helleſponto iuncto, Atho perfoſſo, maria ambulauiſſet, terramq; nauigaſſet: & reliqua. Hic autem locus à multis ſcriptoribus tactus & illuſtratus eſt. Vt Xerxes mare pedibus tranſierit, pinxit etiam his verſibus Lucretius libro III.

Ille quoque ipſe, viam qui quondam per mare magnum
Strauit, iterq́ dedit legionibus ire per altum,
Ac pedibus ſalſas docuit ſuperare lacunas,
Et contempſit, aquis inſultans, murmura ponti,
Lumine adempto, animam moribundo corpore fudit.

Quod ſequitur exemplum ex Iſocratis encomio Helenæ petitum eſt. Καὶ βουλόμενος, (ὁ ζεὺς) αὐτοῖς; μὴ μόνον τὰ σώματα εἰς θεοὺς ἀναγαγεῖν, ἀλλὰ καὶ τὰς δόξας ἀειμνήστους καταλιπεῖν; τοῦ μὲν ἐπίπονον καὶ φιλοκίνδυνον τὸν βίον κατέστησε, τῆς δὲ περίβλεπτον καὶ περιμάχητον τὴν φύσιν ἐποίησε. Denique Epicharmi hic verſus: τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼ ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγών; ſiue huius ſimiles, quo vitio laborent, ſatis aperitur. Reprehenduntur verò vno verbo etiam ab Ariſtotele, qui hoc genus, ψευδεῖς ἀντιθέσεις, falſas oppoſitiones nominat.

CAP. X.

Quomodo item ex ſimilibus.

SVNT *etiam aliquando in periodis quædam ſimilia membra, neque hæc ſimilitudo vno modo naſcitur. Sunt enim ſimilia, vel in principio, vel in clauſula. Primi exemplum ſit*: Amicitiæ leges improbe violat, iuſtitiæ ſtudium qui non ſanctè colit.

lit. *Exemplum posterioris :* Tam dura enim qui ſcriberet, facilè aſperiora multa diceret. *Hi modi vſurpati quàm rariſsimè afferent orationi ornamentum aliquod : crebriores ſi ſint, etiam ipſam deformabunt, vt ſic potius vitandi quam affectandi ſint : vt ſatius ſit, aliquando non ſaliiſſe, quàm copia ſalis corrupiſſe. Similis ſpecies eſt membrorum quæ partibus ſyllabis conſtant, vt in Miloniana Cicero.* Quod igitur in cauſa quærendum eſt, id agamus: hoc quod tormentis inuenire vis, id fatemur. *Vt autem hæc ratio pulchra eſt, neque negligenda, ita perpetuam eſſe nihil neceſſe eſt. Huc quoque pertinent ſimiliter deſinentia, ſiue in eadem nomina deſinant, ſiue in eaſdem ſyllabas. In eadem nomina : vt :* An, cum nunquam fecerit benè, mirum, ſi nunquam audiat benè? *In eaſdem ſyllabas, vt in oratione Ciceronis pro Marco Marcello.* Ergò & mihi meæ priſtinæ vitæ conſuetudinem, C. Cæſar, interclusam aperuiſti, & his omnibus ad bene de omni republica ſperandum quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. *Et pòſt :* Aut ſua pertinacia vitam amiſerunt, aut tua miſericordia retinuerunt.

Σχόλιον Præter oppoſitiones oratorias, ornant quoque periodos παρόμοια, ἰσόκωλα, ὁμοιοτέλευτα, aſſimilia, paria, ſimiliter deſinentia : παρομοίωσις ſiue aſſimilatio, erit, cũ extremas partes ſimiles habebit vtrunq; membrum, vt ait Ariſtoteles, quod aut in principio aut in fine fieri neceſſe eſt. In principio, in nominibus, vt in hoc verſu Homeri, Λ. Ι. Δωρητοί τ' ἐπέλοντο, παράρρητοί τ' ἐπέεσσι. Vbi apparet ſimilitudo nominum, δωρητοὶ, παράρρητοι Sic in hoc Heſiodi,

Δώτῃ

Δώτῃ μέν τις ἔδωκεν, ἀδώτῃ, δ' οὔτις ἔδωκε. Similitudo eſt in nominibus δώτῃ, ἀδώτῃ. Sed hic præterea ἰσόκωλον eſt & ὁμοιοτέλευτον. In extremo, vt initium panegyrici Iſocratis: πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων, καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων. Παρίσωσιν definit philoſophus, ἐὰν ἴσα τὰ κῶλα, ſi paria ſint membra: Demetrius, ſi membra habeant pares ſyllabas, vt in hoc Thucydidis loco: ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται, ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τε ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι, οὐκ ὀνειδιζόντων. Reliqua ſunt ὁμοιοτέλευτα, ſimiliter deſinentia, ſiue in nomina eadem, ſiue in ſyllabam eandem. In ſyllabam eandem, vel etiam in ſyllabas eaſdem vt exemplum ſuperius è panegyrico; & hoc Tullij: Sed ſtomachari deſinamus: tempori pareamus: cum Pompeio in Hiſpaniam eamus. Sic Xenophon. Ageſilao: ὅπως ἅμα μὲν χρηματίζοιντο, ἅμα δὲ ἐνδοξότεροι γίγνοιντο. In idem nomen, vel ratione caſus, vel ipſum ſimpliciter. Ratione caſus, quod eſt ὁμοιόπτωτον. Vt, ἄξιος δὲ σταθῆναι χαλκοῦς, οὐκ ἄξιος ὢν χαλκοῦ. Et huic ſimile: Is donetur ſtatua, qui ipſe ſit ſtatua! Nomen ipſum: vt, σὺ δ' αὐτὸν καὶ ζῶντα ἔλεγες κακῶς, καὶ νῦν θανόντα γράφεις κακῶς. Sic Varro, de anſeribus loquens Quotieſcunq; ſumpſerunt, locus ſolet purgari, quod ipſi amant locum purum, neque ipſi vllum, vbi fuerint, relinquunt purum. Idem de piſcinis maritimis: Primum ædificantur magno; ſecundo, implentur magno; tertio, aluntur magno. Sed hæc ſimul omnia quaſi in tabella proponamus.

- παρομοίωσις
  - καθόλου. παρίσωσις.
  - ἐν μέρει
    - ἐν ἀρχῇ, ὀνομάτων.
    - ἐπὶ τελευτῆς
      - συλλαβῆς· ὁμοιοτέλευτον.
      - πτώσεως. ὁμοιόπτωτον.
      - ὄνομα αὐτό.

Aliquando nullius huiuſmodi ornamentorum indiget periodus :, interdum vnum habet atque alterum: interdum plura; interdũ omnia. Vt in hoc exemplo apud Ariſtotelem : ἐν πλείσταις, δὲ φροντίσι, καὶ ἐν ἐλαχίσταις ἐλπίσι. Primùm eſt παρίσωσις æqualia æqualibus relata. Deinde ἀντιθέσεις, oppoſita: πλεῖστα, ἐλάχιστα; χροντίδες, ἐλπίδες. Denique παρομοίωσις. Sunt enim & ὁμοιοτέλευτα & ὁμοιόπτωτα: φροντίσιν, ἐλπίσι. Inſuper initio eſt ἀναφορὰ, in relatione præpoſitionis.

CAP. XI.

Quanta arte ornamenta illa ſint adhibenda.

IN *vniuerſum autem de his generibus, vſus eiuſmodi membrorum lubricus eſt, nec iis ſatis tutò vtetur quilibet. Itaq́; eum, qui ipſis rectè vti velit, arte id facere oportet, neq́; ignorare, quid quoquo loco conueniat. Non enim accommodata ſunt ei, qui quid acriter dicat. Nam taliũ membrorum inane ſtudium, & cura ſuperuacanea, vim omnem orationis diſſoluit. Id verò in iis Theopompi videre eſt, quibus inuectus in Philippi Macedonis milites, ineptè orationem huiuſmodi deliciis referſit: quæ enim in ipſis ſimilitudo membrorũ, & oppoſitio, ea omnẽ orationis vehementium labefactat, quòd abutitur arte, ipſaque vtitur vbi eius verus vſus non eſſet. Neq́; enim iracundiæ*

cundiæ arte opus est, sed oportet eam quodam modo natiuam esse in talibus accusationibus, & quæ dicuntur, esse simplicia, minimeq; affectata & compta. Talia igitur quoties acres esse volumus, vtilia non sunt, sicut ostensum est: neq; etiam in affectibus, & moribus. Simplex enim debet esse affectus, neq; in eo adscitum aliquid: eodem modo & mores. Quare, qui apud Aristotelem in libris de iustitia rempub. Atheniensium deplorat, si sic dicat nullo adhibito ornatu: Qua tali vrbe hostium potiti sunt, qualem suam propriamq; amiserunt? *ita cum affectu dixerit, & lugubriter. Sin similiter desinentes syllabas in membrorum clausulis fecerit:* Quam enim vrbem hostium talem cœperunt, qualem suam hoc bello amiserunt? *affectum equidem nullum mouebit, nec misericordiam, sed clausigelota, qui ita Græcis dicitur, quasi dicas, risum adhibitum ploratui. Nam si in eiusmodi affectibus, præceptis dicendi, quæ suo loco bona sunt, abutaris, hoc est, quod prouerbio dicitur, luctum salibus adspergere. Itaq; perpetuum hoc sit, vt rebus conuenientia componantur. Id enim nisi seruetur, vnum, quod stabilitum velis, euertetur ab altero, in quo ornatum affectabis. Est tamen vbi vsui sint, vt in his verbis Aristotelis.* Athenis Stagira veni propter regem magnum: Stagiris Athenas propter hyemem magnam. *Simile fuit.* Sæpe qui sperat fructus maximos, is incidit in calamitatem maximam. *Vtrobiq; si alteram dictionum membra claudentium sustuleris, vnà sustuleris venustatem. Ad amplitudinem enim orationis contulerint huiusmodi membra, cuiusmodi multa sunt Gorgiæ, in quibus contraria contrarijs opponuntur. Hæc de similibus membris sufficiant.*

Σχόλιον.

Σχόλιον. Ornamenta orationis non ſunt negligenda. Eo enim traduntur. Igitur & periodi ornandæ : ſed tribus tamen locis, ſiue duobus non ſolum non adſciſcenda, ſed etiam, ſi ſe vltro offerant, remouenda, ἐν δεινότητι, ἐν πάθεσι, καὶ ἐν ἤθεσι, in vehementia, in affectibus, & in moribus. Vehementia enim omnis, ſiue ira, ſiue indignatio, affectibus continetur. Eiuſmodi enim veneres affectus nullos mouent in animis, ſed ſi qui ſint, eos diluunt, quando animum aliò vocant, nempe ad contemplationem eius artificii. Igitur in affectibus oberunt cauſſæ. Oberunt etiam in moribus. Quia quos etiam penicillo paullò ſtudioſius expreſſerint pictores; eorum vultum non ſatis ſincerè repræſentari non iniuria ſuſpicamur.

Quod ad Theopompum attinet, locum hunc citat plenius Athenæus libro δειπνοσοφιστῶν VI. ὅθεν δικαίως αὐτοὺς, οὐχ ἑταίρους, ἀλλ' ἑταίρας ὑπέλαβεν: οὐδὲ στρατιώτας, ἀλλὰ χαμαιτύπας προσηγόρευσεν. ἀνδροφόνοι γὰρ τὴν φύσιν ὄντες, ἀνδρόπορνοι τὸν τρόπον ἦσαν.

Deploratio Athenienſium ex Ariſtotelis libris de iuſtitia laudatur, in qua nihil ſimilium ornamentorum adhibuit ſcriptor ſapientiſſimus. Sed verba hæc ſunt: ποίαν τοιαύτην πόλιν εἷλον τῶν ἐχθρῶν, οἵαν τὴν ἰδίαν ἀπώλεσαν; quæ ſi quis cometet in hunc modũ: ποίαν γὰρ πόλιν τῶν ἐχθρῶν τοιαύτην ἔλαβον, οἵαν τὴν ἰδίαν πόλιν ἀπέβαλον; quaſi exhalaret, quodcunque illic erat lugubre, quando auditor non iam luctuoſum vrbis ſtatum contemplaretur, ſed oculos deflecteret ad ſimiliter cadentes in membris terminos. Lyſias igitur miſe-

misericordiam mouere cogitans in defensione Niciæ his verbis : κλαίω τὸν ἀμάχητον καὶ ἀναμάχητον ὄλεθρον. ἱκέται μὲν γὰρ αὐτοὶ τῶν θεῶν καθίζοντες, προδόται δὲ τῶν ὅρκων ὑμᾶς ἀποφαίνοντες, ἀνακαλοῦντες συγγένειαν, εὐμένειαν : reprehenditur à Theophrasto ; cum ludum fecisse non in loco similiter desinentibus videatur. Namque, vt docet ille philosophorum eloquentissimus : τὸ μὲν ἴσον καὶ ὅμοιον παιδιῶδες καθαπερεὶ ποίημα. διὸ καὶ ἧττον ἁρμόττει τῇ σπουδῇ. φαίνεται γὰρ ἀπρεπὲς σπουδάζοντα τοῖς πράγμασι, τοῖς ὀνόμασι παίζειν, καὶ τὸ πάθος τῇ λέξει παραιρεῖν. ἐκλύει γὰρ τὸν ἀκροατήν. Regula prorsus aurea, quam rectè sequantur multi etiam nostræ ætatis scriptores, elegantiæ adprimè studiosi ; etsi plures quotidiè prodeunt, & omnis elegantiæ expertes, & linguæ puritatis perpetuò negligentes. Verum ex illis discere etiam multa possis : hi, quamuis ad docendum ab omnibus rebus imparati, doceri tamen nolint. Lysiæ autem patrocinatur Dionysius Halicarnasseus, in iudicio à Theophrasto non dissentiens. Negat enim prorsus orationem illam esse Lysiæ ; & fatetur, si eam composuisset, δικαίως ἂν ἐπιτιμήσεως ἀξιοῖτο, χαριεντιζόμενος ἐν οὐ χαρίεντι καιρῷ, merito fuisse reprehensum, vt qui veneres fuisset consectatus loco minimè venusto. Nec verò existimarim hoc minus esse vitæ benè institutæ & boni consilij, quàm accommodatæ orationis præceptum. Cæterum κλαυσίγελως est risus simul lacrymantis : qualis Andromachæ, filiolum Astyanactem ab Hectore sinu accipientis Λ. Z. à poëta pingitur. ἡ δ' ἄρα

μιν κηώδεϊ δέξατο κόλπῳ Δακρυόεν γελάσασα. Vbi Euſtathius, πάθος ψυχῆς δηλοῖ χαρᾷ καὶ λύπῃ συμμικτὸν, χαρᾷ διὰ τὰ παρόντα, λύπῃ διὰ τὰ μέλλοντα; qui ſcilicet eſt κλαυσιγέλως. Tale gaudium lacrymis, vt ſic loquar, cōdîtum exoritur apud Lacedæmonios, cum allatus fuiſſet nuncius de victoria, profligatis & cæſis multis hoſtibus, Spartanis autem ad vnum omnibus ſuperſtitibus. τοὺς μέν τοι ἐν Σπάρτῃ ἔφασαν (inquit Xenophon ἑλληνικῶν Z) ἀκούσαντας, ἀρξαμένους ἀπὸ Ἀγησιλάου, καὶ τῶν γερόντων, καὶ τῶν ἐφόρων, πάντας κλαίειν. οὕτω κοινόν τι ἄρα χαρᾷ καὶ λύπῃ δάκρυά ἐστι. Apud eundem eodem libro: Videre erat Phliaſios depulſis hoſtibus ſibi gratulari, & mulieres viris vinum porrigere, & præ gaudio lacrymare. Ἔνθα δὲ, inquit, θεάσασθαι παρῆν ἐπὶ τῆς σωτηείας, τοὺς μὲν ἄνδρας δεξιουμένους ἀλλήλους, τὰς δὲ γυναῖκας πιεῖν τε φερούσας καὶ ἅμα χαρᾷ δακρυούσας. πάντας δὲ τοὺς παρόντας τότε τῷ ὄντι κλαυσιγέλως εἶχεν. Huic porrò rei affine eſt prouerbium, ἐν πενθοῦσι παίζειν, quæ aut ἐπιχαιρεκακία, aut mera ſtultitia eſt.

Sed terminationum ſimilium tamen aliquando vſus eſt venuſtus, vt in loco Ariſtotelis: Ἐγὼ ἐκ μὲν ἀθηνῶν εἰς Στάγειρα ἦλθον διὰ τὸν βασιλέα τὸν μέγαν; ἐκ δὲ Σταγείρων εἰς Ἀθήνας διὰ τὸν χειμῶνα τὸν μέγαν: Vnde ſi tollas alterutrum, τὸν μέγαν, vnà venuſtatem ſuſtuleris.

CAP. XII.

Quid periodus & enthymema differant.

CVM *autem connexa sint plerunq; periodus & enthymema, vt imperito idem esse facile videantur; aperiemus quomodo differant. Sciendum verò initio, non esse in schola rhetorum primo loco enthymema syllogismum imperfectum, de quo tamen non solum dialectici, sed ipsi quoq; magistri dicendi agunt, quoniam is est rhetoricus syllogismus. Sed nunc enthymema significat sententiam ex contrariis conclusam, in qua pugna apparet. Iam videamus, vt differant. Periodus est quædam compositio circumacta, vnde & nomen habet: enthymema verò vim & constitutionem suam habet in sententia. Atq; periodus est circulus enthymematis, sicut & aliarum rerum; enthymema autem quædam sententia, quæ videlicet ex pugna dicitur in consecutionis figura, id est, ac si continuè vnum ex alio colligatur. Hoc enim videatur cuipiam fieri; etsi nulla necessitate, sed quasi ludendo & studio ornatus fiat. Apparet ex posteriore differentia, quandam periodum comprehendere enthymema; seu quoddam enthymema comprehendi periodo; quod tamen dissoluta periodo nihilominus maneat enthymema. Quod si enim dissoluas compositionem enthymematis, periodum quidem deleueris, sed enthymema tamen idem manebit. Enthymema est in oratione contra Aristocratem:* Præterea, quemadmodum mihi videtur, supra modum etiam impudens est huiusmodi oratio; & alios talia decreta antè condidisse. Neque enim, si quid vnquam minus secundum leges factum fuisset,

idque

idque tu fuiſſes imitatus; iccircò te abſolui conuenit; quin contra eam ob cauſſam multo magis condemnari. Quemadmodum enim, ſi quis illorum condemnatus fuiſſet; tu hoc decretum non ſcripſiſſes: ita ſi tu condemnaberis ſententijs iudicum, tale nemo deinceps ſcribet. *Iam ſi quis hoc enthymema in hunc modum diſſoluerit.* Nolite poteſtatem facere oratoribus promulgandi aliquid contra leges. Si enim illis olim itum fuiſſet obuiam; neque nunc Ariſtocrates hoc pro Charidemo priuilegium promulgaſſet: neque alius ex hoc tempore tale quid promulgabit; ſi hic damnatus fuerit veſtris ſententijs. *Hic periodi orbis diſſoluitur permanente enthymemate.*

Sed alterius quoq; generis enthymema differt à periodo: nam enthymema eſt ratiocinatio oratoria; periodus nihil ratiocinatur; tantum eſt certa quædam dictionum compoſitio. Item in quauis parte orationis collocamus periodum, vt in exordiis; enthymema non item. Enthymema enim velut poſteriore loco dicitur, cùm res, de qua dicitur, ſignificata eſt: ſed periodus dicitur ex ſe, ſuaue conſtructione. Deniq; enthymema eſt ſyllogiſmus imperfectus; periodus verò, qua periodus eſt, neq; totum quiddam, neq; imperfectum ratiocinatur. Accidit igitur enthymemati, vt periodus ſit, quando eſt incluſum periodo; non tamen eſt re vera periodus; ſicut ædificio accidit, vt album ſit, non tamen ædificium eſt ipſum album, etiamſi album ſit.

Σχόλιον. Cum accidat, vt periodo enthymema comprehendatur, oſtendum fuit, vt hoc ab illo differat. Sed ἐνθύμημα cogitatio eſt, ſiue

 ſenten-

ſententia. Verum hoc vocabulo, vt artis ſuæ, vtuntur magiſtri dicendi, primum perquam generatim, deinde pro certa argumenti forma: ita verò generatim, vt omnem pæne ſententiam enthymema appellare ſoliti ſint, ſed tamen potiſſimum, idq; κατ᾽ ἐξοχὴν, quæ ex contrarijs conflata ſit. Quod nos Cicero in Topicis docet, pluribus verbis. Ex hoc, inquit, illa rhetorum ſunt ex contrarijs concluſa, quæ ipſi enthymemata appellant; non quod non omnis ſententia proprio nomine enthymema dicatur, ſed vt Homerus propter excellentiam, commune poëtarum nomen, efficit apud Græcos ſuum: ſic cum omnis ſententia, enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrarijs efficiatur, acutiſſima, ſola propriè nomen commune poſſidet. Eius generis hæc ſunt: Hoc metuere, alterum in metu non ponere. Eam, quam nihil accuſas, damnas: benè quam meritam eſſe autumas, dicis malè mereri. Id, quod ſcis, prodeſt nihil: id, quod neſcis, obeſt. Et Quintilianus libro V. Expugnantibus verò, inquit, quod etiam ſolum enthymema quidam vocant, fortior multo probatio eſt: adducitq; hoc Ciceronis pro Milone: Eiuſdem igitur mortis ſedetis vltores, cuius vitam, ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis. Altera ſignificatione enthymema eſt ſyllogiſmus rhetoricus, quod & initio dictum fuit, neque ignotus dialecticis, ſiue imperfectus ſyllogiſmus. Ipſo autem ſyllogiſmo non vtuntur oratores, aut rarius: vtuntur autem enthymemate,

in quo altera propoſitionum, ex quibus concluſio conficitur, omittitur; ſiue quod notior eſt, quàm debeat poni, ſiue quod imbecillior, quàm vt poni ex re ſit. Diſcernitur autem vtriuſque generis enthymema à periodo, prioriſque ab hac differentia ſatis diſertè tradita eſt. Ambitus ſua vi eſt talis, ſiue enthymema in ſe contineat, ſiue aliam ſententiam: enthymema conſiſtit, tam extra periodum, quàm in periodo. Hoc loco Demoſthenis probatur, ab ipſa periodo comprehenſo, & deinde diſſoluto, quando vtrobique nihilominus eſt enthymema. Verba oratoris Græci ſunt. Ἔτι τοίνυν ἔμοι γε δοκεῖ, καὶ σφόδρα ἀναιδὴς εἶναι ὁ τοιοῦτος λόγος, ὡς γέγονε καὶ πρότερον τισὶν ἄλλοις τοιαῦτα ψηφίσματα. οὐ γὰρ εἴ πώποτε μὴ κατὰ νόμους ἐπράχθη, σὺ δὲ τοῦτ' ἐμιμήσω, διὰ τοῦτο ἀποφεύγειν σοὶ προσήκει, ἀλλὰ τοὐναντίον πολὺ μᾶλλον ἁλίσκεσθαι διὰ ταῦτα· ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκείνων ἑάλω, σὺ ταῦτ' οὐκ ἂν ἔγραψας, οὕτως ἂν σὺ νῦν ἁλῷς, ἄλλος οὐ γράψει. Ea Quintilianus, libro antè citato, ſic multo ſimplicius redidit, quàm nos fecimus. Voluimus enim lectori ſententiam magis aperire. Non enim, ſi quid vnquam contra leges factum eſt, idq; tu es imitatus, idcircò te conuenit pœna liberari; quin è contrario damnari multo magis. Nam, vt ſi quis eorum damnatus eſſet, tu hæc non ſcripſiſſes; ita damnatus tu ſi fueris, non ſcribet alius. Periodus verò ab altero quoque, recteque enthymemate dicto diſcernitur, quod nihil ratione concludit, quod enthymema facit, aut facere videtur; quòd ponitur quouis loco orationis, cum enthymema

non vbique locum habeat; quod periodus ex se dicitur, cum enthymema rei probandæ gratia adhibeatur: hoc enim videtur dici verbo ἐπιλέγεσθαι; quòd neque totum quiddam, neque imperfectum ratiocinatur; cum aliquid semper enthymema ratiocinetur; quoniam est quidam syllogismus, etsi imperfectus, non solum propter alterius propositionum omissionem, sicut diximus, & docet philosophus, & res est, sed fortè etiam, quia raro plenè aut validè concludit. Vix enim vllum reperias, cui non aliquid opponas. Sunt enim paucissima, quæ dicuntur, τεκμηριώδη, necessario aliquid constituentia, & propterea inuicta. Quod autem alteri enthymemati accidit, vt simul ambitu concludatur; id non minus huic accidit: neque tamen periodus diuersum quiddam est ab vnius alteriusue generis periodo.

CAP. XIII.

Quomodo membrum periodi definiatur.

SVPEREST *forsan, vt & membrum definiamus. Id sic definit Aristoteles. Membrum est altera pars periodi: deinde subijcit: conficitur & simplex periodus, scilicet ex vno tantum conflata membro. Cum autem in definitione dicat esse alterutram partem; voluisse igitur videtur, oportere periodum non nisi bimembrem esse. Archedemus comprehendit in definitione & definitionem Aristotelis, & quæ subijciuntur, atque ita periodum planius & perfectius definiuit: Membrum est aut simplex periodus, aut compositæ periodi pars. Sed tamen*

tamen philoſophus reprehendi non poßit, quem voluiſſe tantum bimembrem periodum definire, nemo dubitet, niſi qui arbitretur, illum ignoraſſe, quod pueri ſcirent, & periodos eſſe plurium membrorum. Nec perfectionis laudem meretur definitio Archedemi. Nam vbi ait: membrum eſt ſimplex periodus, adderet, aliqua: quoniam neceſſe eſt, vt habeat longitudinem & flexionem in extremo, vt ſupra dictum fuit. Præferatur tamen Archedemi definitio Ariſtotelicæ, quod cum inquit, compoſitæ periodi partem eſſe, apertè deſignat, non hanc ſolum, quæ duorum, ſed & aliam, quæ trium pluriumue membrorum ſit. Expoſita verò antè eſt etiam iuſta menſura periodi. Sequitur, vt de notis ſiue characteribus locutionis dicamus.

Σχόλιον. Ex interuallo reuertimur ad periodi partes, quæ dicta ſunt κῶλα, ſiue membra. Definitio Archedemi eſt. κῶλόν ἐστιν, ἤτοι ἁπλῆ περίοδος, ἢ συνθέτου περιόδου μέρος. Fortè vero & hic ſit, quod deſideres. Nam ipſum quoque κόμμα, ſiue inciſum eſt periodi pars. Quinctilianus libro IX. ſic diſcernit & definit inciſum & membrum: Inciſum, inquit, erit ſenſus non expleto numero concluſus: plæriſque, pars periodi. Fiunt autem ex pauculis verbis, vel è ſingulis. Membrum autem eſt ſenſus numeris concluſus, ſed à toto corpore abruptus, & per ſe nihil efficiens. Ex his igitur, & ijs quæ ſupra diximus, ſatis illuſtrata fuerit doctrina de membris periodorum.

CAP. XIV.

De Characteribus seu formis orationis & earum numero.

CHARACTERES *sunt notæ rebus inustæ, vel insculptæ, vel impressæ: quæ notæ sint illarum certæ indices. Ad eum modum dicuntur characteres orationis, qui indicant, cuiusmodi oratio sit, siue docent, cuiusmodi oratio quoquo loco esse debeat, vt omnibus suis partibus honesta sit, præterquam quòd res lectas & sermonē latinū esse oportet. Conabor dicere clarius. Quicunq; sensus animi effertur, oratione effertur: iam nō perinde est, quocunq; genere orationis quicunq; sensus animi efferatur in dicendo, vbi & docere debeas alium, & mouere. Nam solus proprius & perspicuus sermo, perq; omnia vniformis, vix ibi quoq; sufficiat, vbi nihil aliud etiā, quàm simplicem prorsusq; eandem rerum explicationem tractandam aggrediaris. Sed vnumquemq; animi sensum decet conuenienti & idoneo orationis genere exprimi, vt & rem repræsentes, & in animis auditorum hoc efficias quod velis. Non conuenit autem inter magistros dicēdi de characterum numero, cum tamen eôdem res redeat: nos rationem & consilium Demetrij exponemus: quo intellecto neq; erit fortasse difficilè & de cæteris iudicare, & poterimus alicubi orationi nostræ suos, hoc est conuenientes characteres imprimere, certè characteres improbos & adulterinos, tanquam orationis scopulos, cauebimus. Sunt autē characteres probi & simplices quatuor, quorū aliquo vel aliquibus omnes partes orationis oportet insigniri, tenuis, magnificus, politus, vehemens. Horum quidam inter se miscentur, siue componuntur. Neque enim vnusquisq; horum*

horum cum quolibet reliquorum miſcetur. Verum politus miſcetur cum tenui & magnifico: ſic vehemens cum vtroq; horum miſcetur: ſed tenuis & magnificus eodem loco non conueniunt, neq; commiſcentur, cum vnus aduerſetur alteri, ſintq; maximè contrarij. Hoc etiam cauſſæ fuit, vt quidam politum & vehementem inter tenuem & magnificum collocarint, ſic vt politum magis attribuerint tenui, vehementem magnifico, quod politus exilitatem aliquam & elegantiam in ſe habere videretur, vehemens molem & magnitudinem. Verum hæc ratio non ſolum falſa eſt, & bonis rationibus facilè euerti poteſt; ſed etiam ridicula, cum ex re ipſa appareat, id ſeſe aliter habere. Videmus enim, vt paulo antè quoq; diximus, præter dictos characteres, contrarios omnes miſceri cum omnibus, veluti Homeri carmina, & Platonis ſermones, & Xenophontis, & Herodoti, & multorum aliorum habere multam vehementiam ſiue grauitatem, & venuſtatem ſiue gratiam. Sunt igitur numero non pauciores, ſed prorſus tot characteres, quot diximus. De ſingulis dicemus ordine, quæ elocutio vnicuique conueniat.

Σχόλιον. Quatuor orationis characteres tradit Demetrius. Sunt autem ἰσχνὸς, μεγαλοπρεπὴς, γλαφυρὸς, δεινός. Sed cum alij plures, alij pauciores numerent, videbatur non prorſus alienum de ſingulis hic diſputare, & videre, quid certi hac in re conſtitui poſſit. Id faciemus forte dedita opera alio loco. Hic concedamus vnicuiq; ſuam opinionem, quæ modo nitatur ratione, ſi non certa & inuicta, ſaltem probabili. Nam fruſtra fortaſſe in his rebus demonſtrationem quæremus. Non agam de conſilio Hermogenis. Eſt enim in manibus. Ipſe Tullius

tres formas ſtatuit, ſiue dicendi genera tria; humile, medium & ſublime. Eandem rationem ſequitur & Marcellinus in vita Thucydidis: id quod indicauit quoq; Petrus Victorius. Sed Victoriũ honoris cauſſa nomino, profiteorq; me huic ſummo viro debere plurimum, ſi quid tamen profecimus in litteris: nec ſanè abſq; eius præſidio hæc elaborare potuiſſemus. Hoc ſemel indicatũ volui, ne quis quod mutuũ ab ipſo accipio: id aliter interpretetur. Ac ſanè neſcio qui fiat, vt nihil noui tradamus, ſed bona & recta ab alijs accepta libenter propagemus. Videmus tamen etiam vt plurimum fieri, vt qui noua ſe tradituros profiteãtur; aut aliena ſibi falſo vendicent, aut nugas in vniuerſum agãt, interdum leuia & puerilia, interdum falſa è penu inſcitiæ incredibili faſtu promentes. Nam quid ego de ijs dicam, qui reprehendendis alijs ridiculos triumphos quærunt? aut vnius voculæ inuentione, arcem ſapientiæ tenere, ſibi & pueris, & ſi qui puerorum ſunt ſimiles, facile perſuadent? Marcellini verba hæc ſunt: τριῶν δὲ ὄντων χαρακτήρων φραστικῶν, ὑψηλοῦ, ἰσχνοῦ, μέσου, παρεὶς τοὺς ἄλλους, ἐζήλωσε τὸν ὑψηλὸν, ὡς ὄντα τῇ φύσει πρόσφορον τῇ οἰκείᾳ, καὶ τῷ μεγέθει πρέποντα τοῦ τοσούτου πολέμου. ὧν γὰρ αἱ πράξεις μεγάλαι, καὶ τὸν περὶ αὐτῶν λόγον ἐοικέναι ταῖς πράξεσιν. Cum tres ſint characteres orationis, ſublimis, tenuis & medius; affirmat Thucydidem affectaſſe principem cæterorum, ſublimem videlicet: idq; duplici reſpectu, & ſui ingenij, quo ſummo erat præditus, & materiæ, quòd perſcribebat bellũ Pelo-

Peloponneſiacum. Nam & naturæ vires explorandæ primum erant, quas non minuere quemque, ſed augere oportet: at contra ſtultè faciat, qui humili ingenio factus, affectet grandia, non minus, quàm qui tenui valetudine temerè cum robuſto manus conſerat. Nec conuenit, negotium minutum magnificè explicandum ſuſcipere, de quo etiam paullò poſt dicetur, vt neque plebeium veſtire purpura. Ni fallor, hoc orationis μέγεθος, ſiue hanc μεγαλοπρέπειαν, ſiue ὑψηλὸν, Longinus ὕψος nominat, quaſi dicas ſummam & perfectam orationem. Tenor igitur talis orationis perpetuo grandis eſt, ſiue eſt in ea oratione perfectio quædam, vt nihil deſideres: nec obſtat, vt partes habeant ſimul ſuam elegantiam, & vehementiam denique, ſi variet materia, id eſt quæ puſillæ res ibi occurrant; rectum eſt, nec perfectioni orationis repugnat, eas tenuiter explicari. Hæ igitur quatuor notæ ſeruient ne perfecto oratori, aut perfectioni orationis? Sic opinor. Nam neque in humili genere omnibus opus eſt. In humili genere non eſt, niſi tenuitas, magnificentia nuſquam apparet, vehementia forte rariuſculè, ſed pluſculum modicæ elegantiæ. In medio filum orationis non ſuperbum, ſed tamen non prorſus tenue, ſed & tenue & elegans; non nullibi magnificum. Nodum igitur hunc explicuimus: ſed forte aliquid præterea addemus lucis breui comparatione. In vniuerſum ſordes, nec in vita, nec in oratione probantur. Valeat fæx plebis, valeat fæx orationis.

tionis. Humiles ſine ſordibus habent locum, etiam honeſtum : ſic pura oratio nec cuiuſuis eſt, & ſingulare quiddam. Idem Marcellinus hunc characterem tribuit Xenophonti, qui & puriſſimè loquitur, & expolit paſſim, in qua re modum ſeruat. Medij ordinis deſignat Herodotum. Hi erunt inſtar patriciarum gentium. In his enim decus ſimul & animus. Reliqua eſt nota ſumma, ſiue ſummum regiumúe dicendi genus : in quo eſt maieſtas. In dicendo regij ſunt, id eſt perfecti, quam pauciſſimi: neq; enim ipſi reges multi : ſed hi pauciores regibus : verum hanc in dicendo maieſtatem tuentur, Homerus, Thucydides, Plato, Demoſthenes: etſi in hoc ipſo inter ſe differunt.

CAP. XV.

De charactere magnifico.

AGEMVS *autem initio de magnifico, quem & eruditum appellant, fortè quia diſerti & eruditi homines eo potiſſimum vterentur, affectantes ſublime & perfectum genus dicendi. Verumtamen hic agitur non de vno perpetuo dicendi genere, ſed de notis, quas paſſim in oratione ſpargi oportet, pro natura rerum quæ explicantur. Conſiſtit autē in tribus, in ſententia, in elocutione, in apta verborū conſtructione, quæ hoc ordine perſequemur.*

Σχόλιον. Magnificum characterem etiam λόγιον appellari, videtur rei conſentaneum, quaſi dicas, vt interpretari quoq; fuimus, eruditum, quia principes doctrinæ hunc ſtylum affectare ſolent: vel quia non niſi opibus & copia doctri-

næ inſtructi moliri poſſint, & cum laude perficere talem orationis amplitudinem, prorſus vt magnificentia non eſt, niſi magnificentiſſimi atq; ſummi viri. In vnaquaq; autem nota tria conſiderantur, quia in his tribus verſantur, ἐν τῇ διανοίᾳ, ἐν λέξει, ἐν τῷ διασκευάσθαί πως.

Cap. XVI.

De magnificentia in re ipſa de qua dicitur.

Primvm *igitur in rebus ineſt magnificum quiddam, ſi magna & illuſtris res tractetur, vt pedeſtris pugna, vel pugna naualis, aut ſermo inſtituatur de cœlo, vel de terra. Nullum eſt dubium, quin res ampla propria ſit magnifici characteris: nec tamen, qui rem amplam tractat, propterea magnifico charactere vtitur. Fit quidem ita, vt qui audit rem amplam, ſtatim putet dicentem amplè dicere, cum tamen ille iudicio erret. Oportet enim non quæ dicantur, ſed quomodo dicantur conſiderare. Fit enim, vt quis ampla exiliter exponens, committat, quod minimè conueniat negotio, cuius explicationem ſuſcepit. Hinc etiam aliquos graues dicunt; quorũ res ſint graues, etiamſi rebus non reſpondeat elocutio. Quemadmodũ & Theopompũ grauem nominant, quia grauia quidẽ ſcripſit, ſed non grauiter. Verum hæc tamen non eô accipienda ſunt, ac ſi non ſit habenda ratio amplitudinis rerum; ſed & huius habenda ratio eſt, & aptæ elocutionis. Itaq; reprehendi non poteſt conſilium pictoris Niciæ. Hic enim etiam hoc ſtatim dixit, artis pictoriæ non exiguam eſſe partem, vt quis materiam iuſtæ magnitudinis ſumat, neque artem in puſillas partes concidat, vt auiculas & flores; ſed ſumat equeſtres pugnas, aut pugnas nauales,*

in quibus

in quibus multas aliquis figuras poßit oſtendere equorum, partim currentium, partim rectà inſurgentium, partim ingenua procumbentium, multos item iaculantes, multos equitum decidentes. Sic enim iudicabat nobilis ille pictor, argumentum ipſum partem eſſe artis pictoriæ, quemadmodum fabulæ artis poëtarum. Mirum igitur non erit, ſi etiam in oratione ex rebus multa magnificentia parta fuerit.

Σχόλιον. Non eſt oratoris, longeque à vera dicendi arte remotum, quod prouerbio dicitur, ex muſca elephantem facere: nec conuenit ita de elephante loqui, quaſi de culice, vt ſi de proboſcide loquens, roſtellum nomines, cum culex leuiter pungit, elephas autem armatum militem proboſcide vel medium amplecti, attollere, & comprimere valeat. Igitur in vnoquolibet charactere conſideratur ſua materia, vt ſi atro debeat vti pictor, non olorem ſibi proponet, non niuem, non purpuram, non ſolem, ſed vel cuius meminimus elephantem, vel coruum, vel picem. Res igitur eſt primum: ſed tamen etiamſi rem habeas in manibus, vt amplam, vt elegantem, eamque referas verbis tuis, non iccirco aut ampla aut elegans tua erit oratio; ſed verba ampla, verba elegantia, indagare omnibus veſtigiis te oportebit, & ex inuentis pluribus lectiſſima vſurpare. Vtrunque meminerit orator, quod ne Theopompũ quidem ſeruaſſe accepimus, & ante etiam oſtendimus. Nam cum tractaret grauia, non equidem ipſa tractauit grauiter. Qui ita ſcribat, æquè peccet, ac qui amores moroſè canat. Sane Niciæ pi-

ciæ pictoris exemplum & regula non negligenda est, qui non solum argumentum rectè penicillo exprimendum, sed sumendum quoque, quod pro dignitate tractari possit, rectè censuit & fideliter monuit, vt sunt ἱππομαχίαι, ναυμαχίαι. Elegans quidem est, sed idem puerile, non nisi flosculos aut auiculas pingere. Quid igitur de ijs sentiemus, qui nobis mira somnia aut pingunt, aut scribunt? Si fœdè; & artis sunt rudes & inepto ingenio: nec minus tamen inepti, si in arte nihil omittant.

CAP. XVII.

De dictione magnifica.

SECVNDVM est de dictione: de qua primùm atq; in genere sciendum, oportere eam esse non vulgarem, neque simplicem, neq; vniformem, sed eximiam, & immutatam, & extra consuetudinem potius. Sic enim habebit tumorem, non tamen illum inanem, sed dignitate præditum. Dictio verò quæ tantum propria sit, & ex consuetudine sumpta, perspicua quidem est semper, sed hac de caussa in contemptu est, non in admiratione.

Σχόλιον. Sordidis, inquinatis, nusquam locus erit, sed pura esse oportet omnia, vt diximus. An verò nusquam recipit hic character vulgarem dictionem? nec simplicem? Nam omnibus partibus vniusmodi esse non debet. Pareret enim fastidium. Omnis autem vulgo nota, vt est propria & simplex, exterminari nunquam potest. Perpetuo enim nasceretur

allego-

allegoria, seu potius perpetuæ tenebræ orationis. Sed passim oportet esse, περιττὴν, ἐξηλλαγμένην. Quod singulare & præstans est, Græci περιττὸν nominant, vt & philosophus in ethicis vsurpat: sapientes, inquit, dicimus, περιττὰ, καὶ θαυμαστὰ, καὶ χαλεπὰ, καὶ δαιμόνια εἰδέναι, quæ plærique non concupiscant, vt pæne superuacanea, aut assecuturos se desperent, aut sibi opus esse non putent. ἐξηλλαγμένη, cui modo hæc, modo alia forma induitur, quod conuenienter facere, artificis est, & eiusdem tamen probè exercitati. ἀσυνήθη, quæ licet in vulgi ore non sint, sed audita tamen ab intelligentia omnium non abhorreant. Hæc dictio habebit tumorem, in quo tamen non sit χαυνότης vt in spongia, sed admirandæ granditatis participem. In tenui charactere satis est, esse propriam orationem, & ex consuetudine omnium, vt sit clara, id quod ibi potissimum requiritur: neque tamen perspicuitatis cura hic abiicienda est, sed eam tum huiusmodi ratione, id est propriis & vsitatis verbis, tum aliis quoque viis consequi oratorem oportet.

Cap. XIIX.

De iis quæ dictionem magnificam reddunt, & primò de translationibus.

PRIMVM *igitur vtendum est translationibus: hæ enim & voluptatem orationi & magnitudinem conferunt. Oportet vero meminisse, & quamodo rectè vtamur translationibus, & quæ probæ sint. Primum est, ne*

vtamur frequentibus, ne pro oratione videamur dithyrambum facere. Hic stilus erat tumidus, atq; vt ille ait, plenus Deo, plenus numerorum, plenus compositarum dictionum, quas ampullas & sesquipedalia verba appellant Satyrici, plenus mirificarum translationum. Idcirco Horatius vocat audaces dithryrambos. Exsultans igitur & inconstans, & tumidus, & vt vno verbo absoluam, inquit Scaliger, totus Bacchus. Nam in Liberi patris honorem factitari solebat dithyrambus. Alterum est, vt vtamur non longè translatis, sed ex illa ipsa re & simili. Longè translata sunt, quæ ducuntur ex rebus longissimè inter se distantibus, in quibus licet aliquid sit similitudinis, tamen dissimilitudinis plus foret, aut certe similitudo illa aliquam ob caussam, quarum esse multæ queunt, sit ineptior. Ex illa ipsa re & simili, translata dicuntur, quæ ex admodum simili, aut vicina re ducuntur, vt rei, cui accommodantur, bonis rationibus conueniant. Sic inter imperatorem, gubernatorem & aurigam non magna dissimilitudo, quòd hi omnes regunt. Itaque si quis Imperatorem dicat gubernatorem ciuitatis, tutò dixerit; & contra qui gubernatorem præfectum nauis.

Σχόλιον. Metaphorarum primus vsus est in charactere magnifico: nec tamen non valent in aliis. Nam profectò ad elegantem ipsæ quoque requiruntur, quia voluptate animos perfundunt. Sed non tam hac gratia, quàm propter magnitudinem, huc adsciscuntur. Tamen vbi earum maximus vsus sit, obseruandum, μὴ πυκναὶ, μὴ πόῤῥωθεν, ἀλλ' αὐτόθεν, καὶ ἐξ ὁμοίου, quæ satis declarata sunt. Aristoteles caussam aperit, cur non procul petitas esse oporteat;

offun-

offundunt enim caliginem auditorum animis. ἀσαφεῖς δὲ, inquit, ἂν πόρρωθεν; οἷον Γοργίας, χλωρὰ καὶ ἔναιμα πράγματα: quasi dicas negotium viride, nec ipsum exsangue. Hic animo hæreas, cuiusmodi intelligas aut ille à te intelligi velit.

CAP. XIX.

De conditionibus bonæ translationis.

APPARET *has translationes pulchriores esse, quoniam conuertuntur, sed tamen non omnes bonas translationes conuerti necesse est. Vt vocem humanam aliquando boatum rectè dixeris, neque tamen vnquam, vocem bouis, orationem. Latini dicunt, pedem betæ: sed non contra dixeris: etsi illa translatio ob familiarem loquendi modum vix esse translatio videatur.*

Σχόλιον. Laudantur & ab Aristotele translationes, quæ conuerti possint, qui & plures bonæ translationis conditiones ponit, etsi neque necessariæ sunt in omnibus omnes, neq; in vna omnes possint confluere. Vna est, vt sit in translatione proportio, vt qui dicat occasum vitæ, rectè quoque dixerit ortum vitæ. Sic flos ætatis, & stipula ætatis. Sed conuenire etiam rei præsenti oportet, vt non conuenit, imperare remo. Aliud præceptum est, vt laudaturus, siue ornaturus quippiam, ducas ex meliore, vituperaturus ex deteriore: vt si philosophum laudes, dicas indagatorem sapientiæ: sin vituperes, hominem otio deditum. Alia est conditio, vt habeat suauem sonum: non dicatur fragor carminis. De vna diximus, vt sumpta sit ex quàm

vicino

vicino loco poſſit fieri. Deniq; vna eſt, de qua hic, vt conuerti poſſit, vt ſi poculum dicas clypeum Bacchi; clypeum vocare poteris Martis poculum. Haſtam dices calamum militis; calamum dices haſtam eruditi. Nec eſt tamen hæc ἀνταπόδοσις perpetua, vt Homerus ὑπώρειαν, quæ latinis eſt radix montis, πόδα ἴδης dicit, quod ad pedem hominis non transfertur.

CAP. XX.

De imagine & quid ea à translatione differat.

SÆPE *fit, vt translatio nobis in mentem veniat, quæ etſi rei propoſitæ perquam accommodata ſit, tamen eam auditoribus non facilè probauerimus. Quod ſi igitur quæ translatio periculoſa eſſe videatur; conuertatur in imaginem. Sic enim erit tutior. Eſt autem imago, translatio exſuperans, in qua videlicet aliquanto plus ſit, quàm in nuda translatione. Vt cum Demoſthenes dicit:* Pytho ruit aduerſum vos, *impetum ipſius orationis indicans. Si quis idem dicat, appoſita particula,* quaſi ruit aduerſum vos, *ita ex translatione imago facta erit, & oratio fuerit tutior. Verum illo modo fuerit translatio, & oratio periculoſior. Quapropter Plato rem planam periculi videtur facere, quo nomine facile reprehendi poſſit, qui potius vtatur translationibus, quàm imaginibus. Xenophon contrà crebris vtitur imaginibus. Sed ipſis tamen imaginibus crebrioribus non eſt vtendum, quoniam id eſt poëticum. Sunt autem eliciendæ vt translationes, nempe à rebus ſimilibus, ſiquidem ſunt translationes differentes eo, quod dictum eſt.*

Σχόλιον. Quædam tranſlationes ſunt luculentæ & ſuaues, quibus vtendum liberè. Contra aliæ duræ ſunt, quas auditoris iudicium vnâ cum oratore reſpuat. His igitur non erit vtendũ, aut ſi vti tutò velis, medicina facienda, mutata methaphora in imaginem: erit enim imago, ſi comparationis particulam inſeras. Demoſthenes in oratione περὶ στεφάνου arduam tranſlationem vſurpauit, de Pythonis Byzantini, præſtantis oratoris ad Bœotos à Philippo rege miſſi, vehemẽtia loquens: ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ, καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα, οὐδ' ὑπεχώρησα, ἀλλ' ἀναστὰς ἀντεῖπον: Ego tum Pythoni, ſe inſolentius iactanti, & ruenti aduerſum vos, non ceſſi, nec pedem retuli, ſed ſurrexi ipſique contradixi. Quæ verba, vt illuſtria, & ad dignitatem oratoris plurimum facientia, adducit quoque nobilis hiſtoriarum ſcriptor Diodorus Siculus, libro XVI. Hac metaphora princeps oratorum vti non dubitauit: ſed eam mollire quis in hunc modum poſſit: ὥσπερ ῥέοντι καθ' ὑμῶν. Eſt autem εἰκασία μεταφορὰ πλεονάζουσα; quam & metaphoram nominat philoſophus. Ἐστὶ δὲ, inquit, καὶ εἰκὼν μεταφορά. Puſillum enim differt imago. Quando enim poëta de Achille canit: ὡς δὲ λέων ἐπόρουσε; imago eſt. Cum dicit, λεὼν ἐπόρουσε: metaphora. De vſu eius his verbis agit. χρήσιμον δὲ ἡ εἰκὼν καὶ ἐν λόγῳ; ὀλιγάκις δέ. ποιητικὸν γάρ. Vnde ducuntur? Hoc addit. οἰστέαι δὲ, ὥσπερ αἱ μεταφοραί· μεταφοραὶ γάρ εἰσι διαφέρουσαι τῷ εἰρημένῳ.

CAP. XXI.

Optimam translationem esse quæ secundum actum dicitur.

PORRO *optima videtur esse Aristoteli, quæ dicitur secundum actum, quando videlicet res inanimæ introducũtur agentes, quasi anima forent præditæ. Vt cum de telo inquit Homerus: cupere in aciem inuolare. Item de fluctibus: eos impallescere: planè ac si quis cerasa, cum maturescunt, dicat erubescere. Sic Latinus poeta: pontem indignatus Araxes. Et Cicero: Quid enim tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat, cuius latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? Quædã luculentius metaphoris dicuntur, & magis propriè, quam si dicerentur proprijs, vt cum cohorruisse pugnam dicit idem ille poëta. Si enim quis hanc rem per propria explicaret, non diceret verius, neq; luculentius. Stridorem enim illum è spiculis siue sonum, qui in ipsis continenter fit, pugnam cohorrescentẽ appellauit, simulq; attigit quodam modo metaphoram antè dictam, in qua sit actus, vbi dicit, pugnam cohorrere, tanquam animantem, vt aprum. Et Tullius rem clariorem fieri translationibus tradit vt in his ex veteri poëta: Inhorrescit mare, Tenebræ conduplicantur, noctisq; & nimbum occæcat nigror, Flamma inter nubes coruscat, cœlum tonitru contremit, Grando mista imbri largifluo subita præcipitans cadit: Vndiq; omnes venti erumpunt, sæui existunt turbines: Feruet æstu pelagus. Omnia ferè, quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt.*

Σχόλιον. Quam secundum actum vel in actu dicimus, est ἡ καθ' ἐνέργειαν, ὅταν τὰ ἄψυχα λόγῳ ἔμψυχα ποιῆται, quando de rebus inanimis, tanquam

quam animatis loquimur. Vt hîc poëta, ὀξυβελὴς καθ᾽ ὅμιλον ἐπιπτέσθαι μενεαίνων. Itē, κυρτὰ, φαληριόωντα. Vitam dedit ſagittæ, vbi ait μενεαίνων: etiam fluctibus, vbi φαληριόωντα. Sic & neruum & ſagittam animat, Λ. Δ. Αὐτὰρ ἐπειδὴ κυκλοτερὲς μέγα τόξον ἔτεινεν Λίγξε βιὸς, νευρὴ δὲ μέγ᾽ ἴαχεν, ἆλτο δ᾽ ὀϊστὸς: vbi neruus ſonum edit, & ſagitta proſilit. Sic apud Plautum miles glorioſus enſem ſuum animat, dum ipſum alloquitur, & eundem ſuo officio fungi ait cupere. Nam ego, inquit, hanc machæram mihi conſolari volo, Ne lamentetur, neúe animum deſpondeat, Quia ſe iam pridem feriatam geſtitem: Quæ miſera geſtit farctum facere ex hoſtibus. Gladius nec audit conſolantem, nec lamentatur, nec animum deſpondet, nec geſtit: at hîc, vbi animatur. Multa porro ſignificantius & magis propriè dici per metaphoram, exempla docent: quorum hoc eſt, Α. Ν. ἔφριξεν δὲ μάχη φθισίμβροτος.

CAP. XXII.

Translationes debere fieri à re maiori ad minorem non contrà.

OBSERVANDVM *porro diligenter eſt, eſſe translationes aliquas, quæ afferunt tenuitatē, cum translatio aſſumatur ad tumorem, vt, vbi poëta cœlum tubæ ſonum edidiſſe canit. Totū enim ſonans non oportebat comparare cum ſonante tuba, niſi quis ſimul defendat poëtā, aiens, ita cœlum ſonuiſſe, vt ſonaret, cum totū cœlum tuba caneret. Quare excogitemus, quæ potius in tali translatione*

latione sit exilitatis caussa, quàm magnitudinis, quòd scilicet à minori ducta sit ad rem maiorem, cum non à minoribus ad res maiores, sed à maioribus ad res minores translatio vtplurimum transferenda sit. Vt, fluctuasse phalangis partem ait Xenophon. Hic enim aciei perturbationem cum fluctuante mari comparauit, & inde nomen sumpsit. Quod si quis contrariam translationem faciat, dicatque: mare turbatum aciem esse, is fortè neque aptè transtulerit, sed prorsus exiliter. Neque tamē nullas translationes ex minoribus rectè ad maiores transferri, putādum est: neque omnes rectè à maioribus ad minores. Vt enim translationes neque humiles esse oportet, ita neque tumidiores, quàm res postulet aut patiatur. Id autem iudicare, & eruditi est, & ingeniosi.

Σχόλιον. Regula hæc est, vt plurimum translationem esse faciendam à maiori ad minus, quod sic minori aliquid dignitatis comparetur, non à minori ad maius, quod sic de hoc aliquid dirui videatur. Locus ex Λ.Φ. examinatur; Σὺν δ' ἔπεσον, (οἱ θεοὶ) μεγάλῳ ὁμάδῳ, βράχε δ' εὐρεῖα χθών; Ἀμφὶ δ' ἐσάλπιγξεν μέγας οὐρανός. Videtur minui tronitru, cui tribuitur sonus tubæ. In quam sententiam hæc quoque referuntur ab Eustathio. τὸ δὲ, ἐσάλπιγξεν οὐρανός, οὐ συνεξῆρται μὲν τῇ τῆς μάχης ταύτης σεμνότητι. τί γὰρ μέγα, σαλπίζειν τὸν οὐρανὸν, ὅπου βροντᾶν ἔδει; Tuetur tamen hanc audaciam poëtæ, quantum potest. οἰκεῖον δὲ ὅμως ἐστὶν, ὡς πρέσγε μάχῃ. πολέμου γὰρ καθ' ὃ πολέμου, σημεῖον οὐ βροντή, ἀλλὰ σάλπιγξ. Addit πολυειδέστερον fieri orationem, cum hoc quoque verbo vtitur, nec iterum vsitato tonandi. Verū, ni fallor, pro Homero magis faciat, ipsum voluisse,

voluisse, cœlum ex alto classicum cecinisse confligentibus, non simpliciter tonuisse. Locus Xenophontis, cuius mentionem fecimus, hic est, ex primo ἀναβάσεως ; ἐπεὶ δὲ πορευομένων ἐξεκύμηνε τι τῆς φάλαγγος. Non aptè transferri videretur, si quis dicat, ἐκφαλαγγίσαι τὴν θάλασσαν.

CAP. XXIII.

Quomodo alias etiam fulciantur metaphoræ periculosiores.

ALIA *quoq; ratio est fulciendi translationes, quæ periculosiores esse videantur, vt muniantur epithetis, vel additione vocabuli declarantis alterum, vt Theognis arcum vocat lyram sine fidibus, quoniam & arcus & lyra propria sunt Apollinis. Nam lubricum foret, lyram de arcu dicere; sed munitur eo, quod sine fidibus esse additur. Simile est hoc apud Latinum poëtam: Remigio alarum.*

Σχόλιον. Theognis dixit τόξον ἄχορδον pro lyra. Sic Pindarus βέλος γλυκὺ, pro grato carmine. Item VI. Olymp: ἀμεμφεῖ ἰῷ μελισσᾶν. Sic si vtendum sit nomine absinthij, salubre in loco dicetur absinthium, etsi amaror maximè proprius est.

CAP.

CAP. XXIV.

Normam omnium illarum esse loquendi consuetudinem & artem.

CVm verò omnium aliarum rerum consuetudo magistra sit, tum ipsa cum primis docet translationes. Nam propemodum parum abest, quin, vix quopiam animaduertente, omnia translatis verbis efferat: vt quando hominē acutum dicit, asperos mores, longum oratorem, & alia, quæcunq; ita concinnè transferuntur, vt proprijs nominibus similia esse videantur. Hanc igitur ego normā statuo translationis, quæ in oratione fit, consuetudinis artem, siue naturam. Ita igitur bellè aliqua consuetudo transtulit, vt neq; proprijs amplius eguerimus, sed mansit translatio sede proprij occupata. Quod & sic euenisse, & vsu venire quotidie, intelligitur. Cum rerū multitudo sit infinita, sed vocabula finita, neq; tot reperiri horū poßint, quæ illis omnibus respondeant; hoc viderunt remedij homines, vt cui proprium non facilè neq; citò inuenirent, ei tribuerent, quod alteri, sed simili propriū esset. quæ omnes sunt necessariæ translationes, & semper vsurpantur non minus familiariter, de iis etiam rebus ad quas assumptæ sunt, quàm quæcunq; propriè solent vsurpari. Sic oculum vitis Græci vocant, quam Latini similiter gemmam. Sed gemma, vt & clauicula pro certo osse, ad similitudinē dictæ translationis esse vidētur, sicut & pes in naui, pes betæ, pes mensæ, pes lectuli, vt pes animantis. Sed hæ non veræ translationes sunt, sed tantū dictæ ad similitudinem, eôq; vocātur homonyma. Itaq; discernemus translationes, vt intelligatur, quas orator suo studio debeat aucupari. Primū, similia sūt metaphoris hæc homonyma, quibus tamē

ſemper vt proprijs vtimur: ſunt enim non ſolum pro proprijs, ſed ipſamet propria, cum vera propria, ſiue magis propria nulla ſint. Alterum genus eſt translationum, quæ naſcuntur in ore etiam vulgi, quæ ſunt quidē translationes, ſed propter vſum quotidianū proprijs ſimillima. Itaq; & his ſic vtimur, vt ea ferè nuſquam fugiamus, neq; ijs qui vtatur habet quod triumphet de orationis ſuæ perfectione. Reſtat tertium genus, quas orator inuenit ingenio ſuo, ſiue arte: ex illo certè deprimendæ, hac iudicandæ ſunt. His vtetur, vt luminibus orationis. Pariunt enim & elegantiam & magnificentiam & vehementiam. Oſtendimus antè, quemadmodum ex translatione fieret imago. Ibi ſtudendum eſt prorſus breuitati, neq; quidquam adijciendum præter particulam comparationis. Quod ſi inſuper addatur aliud, erit integra comparatio: quod genus magis eſt poetarum: vt ſunt quædam Xenophontis. Vt generoſus canis temerè in aprum fertur. *Et:* Quemadmodum equus per campum exſultans ac calcitrans. *Hæc enim non iam imaginibus, ſed ſimilitudinibus poeticis ſimilia ſunt. Haſce verò ſimilitudines neq; facilè in pedeſtri oratione ponere oportet, neq; ſine ſumma cautione. Atq; hæc de translatione, veluti craſſo modo.*

Σχόλιον. Quæ transfert conſuetudo: ea aliter in alijs linguis transfert, vt accurati interpretes norunt, qui hoc munus non aggrediuntur, niſi proprietatem linguarum ad vnguem cognitam habeant, & eius, è qua conuertunt, & alterius, in quam conuertunt... Græci dicunt λευκὴν φωνὴν, ὀξὺν ἄνθρωπον, τραχὺ ἦθος, μακρὸν ῥήτορα, quorum aliqua Latini ſequuntur, aliqua reſpuunt. Neceſſariæ ſunt plæræq; hæ translationes,

nes, ſicut & vitis ὀφθαλμὸς. Non ſunt metaphoræ in his, ſed homonymiæ, è ſimilitudine aliarum rerum natæ: σφόνδυλος, κλεὶς, κτένες, cum intelliguntur de certis partibus corporis: σφόνδυλος περὶ τῶν τῆς ῥάχεως ὀστῶν, cum alias ſignificet verriculum ſeu verticillum, quod mulieres nentes appendunt fuſo: ſed plures quoque σφονδύλου ſignificationes tradit Heſychius: κτένες ſunt pectines, & in Latino eſt vtraque ſignificatio, quemadmodum & in clauicula. Ex homonymia κλειδὸς natus fuit iocus Philippi Macedonis ad medicum; λάμβανε, ὅσα βούλῃ, τὴν γὰρ κλεῖν ἔχεις. Hanc & philoſophus initio V. ἠθικῶν ὁμωνυμίαν nominat. καλεῖται, inquit, κλεὶς ὁμωνύμως, ἥ, τε ὑπὸ τὸν αὐχένα τῶν ζώων, καὶ ᾗ τὰς θύρας κλείουσιν. Cautio de imagine facilis eſt, ne degeneret in ſimilitudinem: cum ſimilitudines ſint poëtarum. Paſſim occurrunt apud Homerum & Virgilium. Similitudo Xenophontis eſt lib. I. κύρου παιδείας, vbi impetum Cyri ruentis in Aſſyrios deſcribit his verbis. ὥσπερ δὲ κύων γενναῖος ἀπρονοήτως ἐπὶ κάπρον φέρεται. Altera vnde deprompta ſit, non liquet. ὥσπερ ἵππος λυθεὶς διὰ πεδίου γαυριῶν καὶ ἀπολακτίζων. Ei admodum ſimilis eſt Homerica, in extremo Λ. Ζ. ὡς δ᾽ ὅτε τις στατὸς ἵππος, &c. qua comparatione alacritas Paridis ob oculos ponitur.

CAP. XXV.

De magnificentia quæ ex nominibus compositis oritur.

SECVNDVM, *quo magnificentia orationi comparatur, eſt nomen iunctum. Sumenda ſunt enim & iuncta nomina, non tamen dithyramborum more concreta, quemadmodum Catullus in Atyſcripſit, vbi cerua ſiluicultrix, vbi aper nemoriuagus: & qui dixit verſutiloquam ſapientiam: ſimilia apud Plautum, quæ prorſus locum habent in comœdia. Riſus enim ibi etiam quæritur, qui argumentum eſt, quod poëta placeat. In vniuerſum verò facio hanc normam, omnis nominum conformationis, quæ dicat legislatores & architectos. Eiuſmodi multa alia tutò componentur. Eſt autem in iunctis nominibus non vna commoditas. Simul namque & varietatem aliquam habent ex compoſitione & magnitudinem; denique etiam breuitatem. Nomen enim ponitur pro tota oratione; vt cum onager dicitur pro fero aſino. Sed cauendum eſt, ne iunctis crebrioribus vtamur. Hæc enim forma diſcedit à pedeſtri oratione.*

Σχόλιον. Quæ frigus orationis pariant, infra oſtendetur: in iis ſunt, quæ hic συώθετα, ab Ariſtotele διπλᾶ ὀνόματα dicuntur, quorum non vna ratio eſt. Alia ſunt dithyrambica: vt θεοπεράτους πλανάς, ἄστρων διάπυρον στρατόν: & hæc Lycophronis, τὸν πολυπρόσωπον οὐρανὸν τῆς μεγαλοκορύφου γῆς; καὶ ἀκτὴν δὲ στενοπόρον: alia Gorgiæ, Alcidamantis: & talia paſſim apud Ariſtophanem occurrunt, nec rara ſunt apud Pindarum. Hæc locum non habent in ſoluta oratione: quin hęc hac ipſa ratione colligabitur. Altera ſunt ὑπ'

ἀληθείας

ἀληθείας συγκείμενα, vt dicimus νομοθέτας, ἀρχιτέκτονας; quæ ad magnificentiam conferunt: & in iis tamen ſeruandus eſt modus, ne iterum poëtæ videamur. Vbi autem, & quibus vſui ſint hæc iuncta nomina, his verbis quoque diſertè docet Ariſtoteles. οἱ δ' ἄνθρωποι, inquit, τοῖς διπλοῖς χρῶνται, ὅταν ἀνώνυμον ᾖ, καὶ ὁ λόγος εὐσύνθετος. οἷον τὸ χρονοτριβεῖν. Ἀλλ' ἂν πολύ, πάντως ποιητικόν. διὸ χρησιμωτάτη ἡ διπλῆ λέξις τοῖς διθυραμβοποιοῖς. οὗτοι γὰρ ψοφώδεις.

CAP. XXVI.

De eadem quum oratione dicitur quod verbo poterat.

TERTIO, *ſi nomen & orationem ſoluas, variam, aut orationem ponas pro nomine, orationem ampliorem feceris. Hoc non dubitauit affirmare Ariſtoteles, ac verum eſt, ſi in loco fiat. Vt, ſi pro gubernatore dicas eum, qui mari periculoſo intempeſta nocte inter ſæuiſſimos fluctus nauim rexerit.*

Σχόλιον. Variatur oratio, ſi nomine vtamur, quo vno res tota oſtendatur: amplior efficitur, ſi oratione tota, quæ rem oſtendat, etſi nomine fieri poterat: de qua re ſic philoſophus, vbi agit περὶ ὄγκου τῆς λέξεως. εἰς ὄγκον δὲ τῆς λέξεως συμβάλλεται τάδε, τὸ λόγῳ χρῆσθαι ἀντ' ὀνόματος· οἷον, μὴ κύκλον, ἀλλ' ἐπίπεδον τὸ ἐκ τοῦ μέσου ἴσον. εἰς δὲ συντομίαν τὸ ἐναντίον, ἀντὶ τοῦ λόγου ὄνομα. καὶ ἐὰν αἰσχρὸν ἢ ἀπρεπές, ἐὰν μὲν ἐν τῷ λόγῳ ᾖ αἰσχρόν, τοὔνομα λέγειν; ἐὰν δὲ ἐν τῷ ὀνόματι, τὸν λόγον. vbi etiam docemur, vtro vtamur in loco: nempe, ſi quid turpe fuerit aut indecorum, idque in oratione, vten-

vtendum erit nomine: sint illud in nomine, vtendum oratione.

CAP. XXVI.

De eadem quæ in nouitate nominis posita est.

QVARTO, *facta nomina, quæ sic definiuntur: quod edantur imitatione alicuius rei, quam quis aut patiatur, aut faciat. Eiusmodi multa diuinitus ab Homero inuenta sunt, neque pauca in vsu vulgari nata simul è consuetudine vt hæc: mugitus, sibilus, murmur, susurrus, bombus, belatus, quo initio vtebantur, teste Varrone, quem deinceps balatum dixerunt. Efficiunt autem magnificentiam potissimum, quia quasi strepitibus similia sunt: atque adhuc multo magis propter peregrinitatem. Non enim qui his vtitur, dicit nomina quæ sunt, sed quæ modo nascantur: ac simul noui nominis fabricatio aliquam redolet sapientiam ceu consuetudinis, quando talium nominum nouator videtur similis esse primis nominum inuentoribus. Ceterum in nouando nomine proponere sibi quis debet, vt & perspicuum sit, & eius auditi statim ab auditoribus vis intelligatur, & ex consuetudine videatur esse non nouum, licet sit nouum, sed ex vulgi sermone desumptum. Præterea proponat sibi similitudinem ad ea nomina, quæ in vsu sunt: ne quis inter Græca Phrygiis aut Scythicis vti videatur. Aut enim fabricanda sunt nomina, quæ prius non exstiterunt; vt qui mollium hominum vitam in voluptatibus transigentium instrumenta, vt tympana & similia vocauit cinædias, & Aristoteles qui præfectum elephantis elephantistam. Aut deriuantur à nominibus, quæ iam posita sunt, vt scaphiten aliquis vocat eum,*

qui

qui remo ageret scapham. Apud Plautum in Trinumo: ipsissimus. Sic enim inter se Sycophanta, & Charmides. Syc: Quamobrem? Char: Quia illum, quem ementitus es, ego sum ipsus Charmides, quem tibi epistolam dedisse aiebas. Syc: Ehô, quæso tu is es? Char: Is enimuero sum. Syc: Ain' tandem, ipsus ne es? Char: aio. Syc: Ipsus es? Char: Ipsus, inquam, Charmides sum. Syc: Ergo ipsus ne es? Charm: Ipsissimus. Atque hæc dictio, facta recens in hac sermonis lucta, non tam inuenitur, quam extunditur. Sic est apud Aristophantem αὐτότατος. *Ita apud eundem Plautum geminissimus in Persa. Toxilus. Tace stulte: hic eius geminus frater est. Dord. Hiccine est? Tox. geminissimus. Lubrica sanè res, vt dixi, etiam ipsis poëtis. Quare considerationis & cautionis in huiusmodi non parum adhibendum est. Duplex quoque nomen, facti nominis species fuerit. Omne enim, quod, componitur, ex aliquibus videlicet existit.*

Σχόλιον. Quæ dicuntur facta nomina πεποιημένα, duplici modo considerari videntur. Fiunt enim duplici modo: aut enim ad imitationem rei, quàm repræsentatura videantur: aut nouantur alioquin. Prioris generis sunt hæc Homerica: σίζε, λαπτόντες. De stridore edito, cum vecti Vlysses Polyphemo oculum effoderet, Δ. Ι. ὡς τοῦ σίζ' ὀφθαλμὸς ἐλαϊνέῳ περὶ μοχλῷ: vbi sic quoque scholion eruditè. καὶ τοῦτο ὀνοματοπεποίηται, ἀπὸ τοῦ κατὰ τὸ λύπος γινομένου σισιλιγμοῦ. Alter locus est. Λ. Π. ἀπὸ κρήνης μελανύδρου λάψοντες γλώσσῃσιν ἀραιῇσι μέλαν ὕδωρ. Vbi ficto verbo sonus aquam lambentium luporum exprimitur. Huius generis sunt, δοῦπος, ἄραβος, βόμβος, ῥο-

χθεῖ,

χθεῖ, κλωγμὸς, κρωγμὸς, quædam à Plutarcho notatæ: ſed coaceruari ὑπὸ φιλομήρων inter legendum plura poſſunt. Ea omnia ſunt ὀνοματοποιηθέντα. Alterius verò generis πεποιημένα arbitratu ſcriptoris formantur. Sed ea formari haud inſulsè oportet, ſed arte, hoc eſt accõmodari ad eius linguæ, in qua formantur proprietatem, ſiue conſuetudinem. Ita quidam dixit κιναιδείας, Ariſtoteles ἐλεφαντιστὴν. Eius locus eſt II. de natura animalium. ἔχει δ', inquit, μυκτῆρα τοιοῦτον καὶ τηλικοῦτον, ὥστε αὐτῷ χειρῶν ἔχειν αὐτόν. πίνει γὰρ καὶ ἐσθίει ὀρέγων τούτῳ εἰς τὸ στόμα, καὶ τῷ ἐλεφαντιστῇ ἄνω ὀρέγει. Sic dixit quiſpiam nouo vocabulo σκαφίτην, qui ſcapham remo ageret: & αὐτίτην Ariſtoteles, παρὰ τὸ αὐτός. Xenophon quoque à clamore militari ἐλελεῦ finxit ἀλαλάζειν: quod tamen neq; priſcis ignotum fuiſſe apparet ex Homero, apud quem eſt ἀλαλητὸς: Λ. Δ. ὣς τρώων ἀλαλητὸς ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ὀρώρει. Sed & apud Xenophontem eſt ἐλελίζειν, item παρὰ τὸ ἐλελεῦ: etſi aliis aliud ſignificat, concuti videlicet, idque etiam apud Homerum, vt Λ. Θ. ἐλέλιξε δὲ μακρὸν ὄλυμπον.

CAP. XXVII.

De amplitudine quam efficit allegoria.

QVINTO, *amplum quiddam eſt allegoria quando aliud dicitur, aliud intelligitur. Et maxime locum habet in interminando, vt Dionyſius ad Locrenſes:* Futurum, vt ipſis humo canant cicadæ, *denuncians populationem agrorum. Quod ſi ſimpliciter dixiſſet, ſe exciſurum agrum Locrenſium; & iracundior viſus fuiſſet,*

fuisset, & humilior. Iam vero sicut velo orationis, sic allegoria vsus est. Quicquid enim intelligendum relinquitur, terribilius est, adeoque alius aliud ariolatur. Quod autem perspicuum est, licet terribile quoq; sit, tamen facilius contemni credibile est, vt exuti vestibus. Quamobrem etiam mysteria in allegoriis dicuntur, quæ in hominum animis consternationem & horrorem pariant, vt in tenebris & noctu. Similis autem est & allegoria tenebris & nocti: neq; tamen ipsa eò vtimur, vt prorsus inducat caliginem, sed vt magis moueat. Quo fit, vt & rem aduertenti illustriorem sæpe faciat. Sic ad Pomponium Tullius: Nec sum miratus, eum, qui caput ipsum reliquisset, reliquis membris non parcere. *Caput, Romam: reliqua membra, municipia Italiæ intelligit. Romam reliquerat Pompeius; relicturus igitur videbatur & cætera oppida. Allegoria est in his verbis Plauti in Epidico*: Vtcunque in alto ventus est, Epidice, ex imo velum vertitur. *Quo versu ostenditur, pro temporibus mutari voluntates & cupiditates hominum. Sunt vero allegoriæ quædam simillimæ ænigmatis. Cauere igitur hic oportet continuationem, ne oratio nobis euadat ænigma, vt in carmine de curcubitula medicorum.*

Æs alii durum vir sæuo adglutinat igni:
Iamque æris bibitur plurimus ore cruor.

Idem præceptum sic tradit Cicero: Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea quæ dicuntur ænigmata. Lacones autem quoniam se in acutè dictis quotidie excercebant, multa dicebant in allegoriis, præsertim si metum inijciebant, vt illud ad Philippum: Dionysius Corinthi; *quæque huiusmodi sunt pauca.*

Σχόλιον·

Σχόλιον. Dionysii minæ: τέττιγες αὐτοῖς ᾄσονται χαμόθεν. Cicadæ in arboribus, maximè in vlmis canunt. Excisis arboribus humo canunt, & quidem testimonium dicunt populationis agrorum. Quinctilianus allegoriam inuersionem interpretatur, quod aliud verbis, aliud sensu ostendit, vt Horatius his versibus: O nauis referent in mare te noui Fluctus? ô quid agis? fortiter occupa Portum; vbi, vt idem magister dicendi ait, nauim prò republica, fluctuum tempestates pro bellis ciuilibus, portum pro pace & concordia dicit. Qui autem allegorias allegoriis attexit, ænigmata construit, aliena ab oratione, quæ intelligi debeat, cum illa auditores suspensos, & quidem in vna re detineant, ex qua se vix tandem explicent. Tale est epigramma περὶ σικύας, cuius & in rhetoricis Aristoteles meminit, refert integrum Athenæus: Ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα, οὕτω συγκόλλως, ὥστε σύναιμα ποιεῖν.

CAP. XXVIII.

De ea quam concisio orationis & reticentia.

SEXTO. *Concisio alicubi magnifica est, & cumprimis reticentia: quædam enim si in oratione prætereantur, atq; in animis suspicio de iis excitetur; maiora videntur. Vt quando Neptunus interminatur ventis apud poetam.* Quos ego. *Sic Cicero ad Atticum.* O celeritatem incredibilem: huius autem nostri: Sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor & crucior. *Hic quid in Pompeio improbaret,*

baret reticens, plus videtur dixisse, quàm si id multis verbis & disertis exposuisset. Est igitur hæc ratio non solùm nota magnificæ, sed etiam vehementis. Verum animaduertendum est, vbi breuitas tantùm possit. Interdum enim orationem faciet multò humiliorem; interdum longè obscurissimam.

Σχόλιον. Magnifica oratio multum illustrium verborum postulat; tenuis contenta est & simplicibus & paucis. Tamen interdum breuitas conducit orationis amplitudini; quando videlicet plurimū succi; siue vitium habet ea ζωπμία. ἀποσιώπησις autem, quam reticentiam interpretantur; multum adferre ponderis videtur. Ea aliquando vocem supprimit, aliquando abscindit, vt docet Fabius. Posterioris exempla vidimus. Suppressit vocem Tullius pro Ligario. Quòd si in hac tua fortuna lenitas tanta non esset, quantam tu per te, per te, inquam, obtines: intelligo, quid loquar. Tacuit enim illud, quòd nihilominus accipimus; non deesse homines, qui ad crudelitatem eum impellerent.

CAP. XXIX.

De eâ quæ ex iteratione oritur.

SEPTIMO. *Quoniam breuitas amplitudinem non rarò infringit; igitur iterationes interdum orationem ampliorem faciunt. Quemadmodum vbi Xenophon inquit de falcatis curribus:* Ferebantur verò currus; alij per medios socios, alij etiam per medios hostes. *Sic enim hoc elatum, maius est, quàm si dixisset:* currus ferebantur per socios & hostes.

Σχόλιον. Magnitudinis exemplum ἐκ διλογίας, hoc eſt ex I. ἀναβάσεως. τὰ δὲ ἅρματα ἐφέρετο, τὰ μὲν δι' αὐτῶν τῶν φιλίων, τὰ δὲ καὶ δι' αὐτῶν τῶν πολεμίων. Apparet quemadmodum hæc ſiue iterarit, ſiue dilatarit, vt viderentur ampliora. Eſſent enim dicta exiliter, manente tamen ſententia, ſi ſcripſiſſet: ἅρματα διὰ τῶν φιλίων καὶ διὰ τῶν πολεμίων ἐφέρετο.

CAP. XXX.

Item quæ ex caſuum obliquitate.

OCTAVO. *Sæpè etiam obliqua ad ampliorem notam plus valent, quàm recta. Recti enim caſus natura procedere videntur, & perſpicuitatem adferunt. Obliqui arte adſciti non ita luculentam faciunt, quàm admirabilem orationem. Cicero: Cogitanti mihi & memoria veteri repetenti, perbeati fuiſſe, Q. frater, illi videri ſolent, qui in prima republica &c.*

Σχόλιον. Recti ſimplicitatis ſunt & perſpicuitatis, obliqui addunt granditatis aliquid, qui dicitur πλαγιασμός. Exemplo eſt locus Xenophontis de quadrigis falcatis. ἡ δὲ γνώμη ἦν, ὡς εἰς τὰς τάξεις τῶν Ἑλλήνων ἐλώντων, καὶ διακοψάντων, pro διενοοῦντο ἐλάσαι καὶ διακόψαι. Idem docet Hermogenes exemplis Herodoti. τὸ γὰρ, ἦν Κανδαύλης, καὶ τὸ, Κροῖσος ἦν, καὶ τὰ τοιαῦτα, οὕτω μὲν εἰσφερόμενα κατ' ὀρθότητα, καὶ καθαρὸν ποιεῖ τὸν λόγον καὶ σαφῆ. εἰ δὲ πλαγιάσαις, οὐ τοιαῦτα ἔσαι· οἷον, Κροίσου ὄντος, καὶ Κανδαύλου ὄντος, εἰ λέγεις. Non attinet omnia adſcribere. Apparet enim per ſe aliam eſſe rationem, & hæc ipſa ſpectare ad quiddam grandius

dius & magnificentius, cum obſecuturam ſententiam tum ob conſtructionem membrorum. Recti caſus oratio eſt apud Demoſthenem Philipp. III. οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι πάντες ἄνθρωποι, περὶ τῶν πραγμάτων εἰώθασι χρῆσθαι τῷ βουλεύεσθαι· ὑμεῖς δὲ μετὰ τὰ πράγματα. Alia erit forma, & prorſus ampliorem fieri neceſſe eſt, ſi eam ſententiam ſic ἀπὸ ὀρθότητος εἰς πλαγιασμὸν deducamus. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων πάντων ἀνθρώπων περὶ τῶν πραγμάτων τῷ βουλεύεσθαι χρῆσθαι εἰωθότων· ἡμῶν δὲ μετὰ τὰ πράγματα. Sic enim hæc inchoata, pollicentur ampliorem ſententiam & maiorem ambitum, Idem pro Cteſiphonte obliquè dixit. τοῦ γὰρ φωκικοῦ συστάντος πολέμου, οὐ δι' ἐμέ: grauius eſt, quam ſi ſcripſiſſet; ὁ φωκικὸς πόλεμος οὐ δι' ἐμὲ συνέστη.

Cap. XXXI.

Vel ex nominum ſimilitudine aut aſperitate.

NONO. *Conuenit & ſimilitudo nominum, & aſperitas vocis, quæ appareat, magnificentiæ: quod enim aſperum auribus eſt, id multis locis tumorem efficit. Quemadmodum apud Græcum poëtam, vbi ait, Aiacem ſemper preßiſſe Hectorem. In eo enim verſu & ſimilitudo & colliſio verborum maiorem faciunt Aiacem, quàm clypeus ille ſemptemplex; qui tamen tantus erat, vt eo non niſi Aiax ſolus vti poſſet.*

Σχόλιον. Cur ſimilitudo nominum dictionesque aſperæ iuuent hanc notam, cauſſæ non ſunt obſcuræ. Namq; ea ſimilitudo rem ob oculos maximè ponit, & propemodum, quanta eſt. De altero; læuor elegantiæ ſolius propius eſt: cu-

iusmodi nimia venustas officit quodammodo amplitudini: sed hoc magis ad compositionem pertinere videtur, de qua proxime. Locus autem Homeri hic est: Αἴας αἰὲν ἐφ' Ἕκτορι χαλκοκορυστῇ.

CAP. XXXII.

De magnificentia dictionis quæ oritur ex epiphonemate.

DECIMVM *est epiphonema, quod ita definiri possit: locutio ornatum afferens singularem: neq; est quiddam eo magnificentius. Locutionis enim altera pars inseruit, altera exornat. Apud Lucretium hæc pars seruit: Aulide quo pacto Truiai virginis aram, & quæ sequuntur. Ornat autem, quod adiungitur, veluti è superioribus expressum: Tantum relligio potuit suadere malorum. Plena horum est Homeri poesis; neq; iis rarò vtuntur Latini poetæ. Neq; verò huius generis acclamationes ornamenta mera sunt; sed etiam animos mouent & penetrant; interdum etiam docent; & in summa, epiphonema simile est ostentationibus opulentorum, gesis dico & triglyphis, & laxis purpuris. Namq; ipsum quasi quoddam diuitiarum orationis indicium est.*

Σχόλιον. Præclarè mihi de epiphonemate dictum videtur, esse λέξιν ἐπικοσμοῦσαν, dictionem exornantem, siue partem orationis, quæ decus addat parti superiori, non solum elegantia verborum, sed etiam sententiæ præstantia. Itaq; epiphonema magnificentissimum esse oportet in oratione. Nam vt in ciuitate, qui operas faciunt, etsi sunt honesti, tamen principem locum tuen-

quentur nobiles & fortunati viri, ita, quæ pars auditoribus ſeruit in explicanda re, ſuum officium facit, ſed quæ ei parti attexitur, ornatus gratia, conuertit oculos & animos in oratorem. Quare non iniuria etiam comparatur cum iis, quæ diuitiores oſtentant, vt ſunt ædiũ veſtibula, γεῖσα, τρίγλυφα, apices tectorũ, laxæ item diffluentesq; purpuræ, torques aurei. Nec tamen incommodè definitur ab Hermogene, ὅτι ἐστὶ λόγος ἔξωθεν ἐπὶ τῷ πράγματι παρ' ἡμῶν λεγόμενος. Nec tacet, vt attexatur ſuperioribus. δεῖ δὲ αὐτὸν καὶ προσέχεσθαι τῷ ὑποκειμένῳ, ὡς ἐκείνου μέρος ὄντα, ἵνα μὴ ἀπάδῃ, καὶ ἔξωθέν τι προσειληφέναι, ἵνα ᾖ καὶ ἡ τοῦ ἐπιφωνήματος φύσις φανερά. τὸ δὲ προσλαμβανόμενον ἔξωθεν, τετολμῆσθαι δεῖ ἀσφαλῶς. διὰ τοῦτο γάρ τοι καὶ ἐπιφώνημα λέγεται, οὐχ ὅτι αὐτὸ τὸ πρᾶγμα λέγεται, ἀλλ' ὅτι τῷ γενομένῳ ἐπιφωνεῖται. Exempla poſuimus his præceptis accommodata, cuiuſmodi eſt & hoc veteris Græci poëtæ. Οἵαν τὰν ὑάκινθον ἐν οὔρεσι ποιμένες ἄνδρες Ποσσὶ καταστείβουσι· χάμαι δέ τε πορφύρον ἄνθος. Vbi vltimam particulam ornamento eſſe apparet: poterat enim omitti: tamen etiam pendet à ſuperiori parte, & ab ea eſt alia. Igitur epiphonema. Sic Δ. Π. vbi Vlyſſes moliens cędem procorum Telemacho mandat arma è conſpectu amouere, & procis ſuſpicionem eximere, quod corrupta iam ſint fumo: ne itẽ, in promptu poſitis, poti in veſtram pernitiem abutamini: ferrum ſua vi ad ſe viros rapit. Hoc enim epiphonema eſt plurium verſuum.

Ἐκ καπνοῦ κατέθηκ', ἐπεὶ οὐκέτι τοῖσιν ἐῴκει,
Οἷα ποτὲ Τροίηνδε κιὼν κατέλειπεν Ὀδυσσεύς.

Ἀλλὰ κατήκισαι, ὅσσον πυρὸς ἵκετ' ἀϋτμή.
Πρὸς δ' ἔτι μοι τόδε μεῖζον ἐνὶ φρεσὶ θῆκε Κρονίων,
Μή πως οἰνωθέντες, ἔριν στήσαντες ἐν ὑμῖν
Ἀλλήλους τρώσητε, καταισχύνητε δὲ δαῖτα,
Καὶ μνηστύν. αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

Facta fuit γείσων mentio & τειγλύφων. γεῖσα sunt suggrundia, id est prominentes tecti partes, quæ à parietibus pluuiam arcent, de quibus plura apud grammaticos. Τείγλυφα autem, τὰ εὖ γλυφθέντα, arte sculpta & celata, siue de columnis, siue de quibusuis alijs ornamentis agatur. Parasitus apud Diphilum, vt est apud Athenæũ libro VI. δειπνοσοφιστῶν ait, vbi ab opulento vocatus sit ad cœnam, se non contemplari cœlata opera, nec laqueata tecta, nec vasa Corinthia, sed fumum considerare, atq; ex eo de cœna coniecturam facere: ὅταν με, inquit, καλέσῃ πλούσιος δεῖπνον ποιῶν, Οὐ κατανοῶ τείγλυφ', οὐδὲ τὰς στέγας, Οὐδὲ δοκιμάζω τοὺς κορινθίους κάδους.

Cap. XXXIII.

Quid epiphonema ab enthymemate & sententia differat.

VIDENTVR *verò esse epiphonematis, cum tamen nõ sint, & enthymema & sententia, quædam species. Primum enim enthymema non est aliqua species epiphonematis, licet videatur esse. Non enim ornatus gratia, sed demonstrationis adhibetur, nisi cum in extremo ponitur, more epiphonematis. Vt est hoc Ciceronis Philip. II. Quid indignius, quàm viuere eum, qui imposuerit diadema? cum omnes fateantur, iure interfectum esse, qui abiecerit.*

Enthy-

Enthymema est. Cæsar qui abiecit oblatum sibi diadema, iure cæsus fuit: ergo iure pereat Antonius, qui Cæsari imposuit diadema. Sed hæc ita in extremo posita, non solum enthymematis, sed epiphonematis etiam vim habent. Eadem vero ratione & sententia similis est cuidam, quod antè dictis acclametur. Sed neq; hæc epiphonema est, siquidem sæpe priore loco dicitur: tamen aliquando sedem epiphonematis occupat, vt apud Plautum Bacchidibus, vbi sic Lydus seruus ad Mnesilochum adolescentem. Mihi discipulus, tibi sodalis periit, huic filius. Nam ego illum perijsse dico, cui quidem perijt pudor. Sic Liuius libro II. Huic tantæ tempestati cum se consules obtulissent, facilè experti sunt, parum tutam maiestatem esse sine viribus. Simile etiam videatur hoc epiphonemati, quod iacitur in Asium Hyrtaci filium, qui contempto consilio Polydamantis, bigis ad Græcorum naues profectus perijt. Quàm fatuus! nec enim fatum euitauit acerbum. Neq; tamen epiphonema existimari possit. Neque enim superadditur, quasi ex superioribus quodam modo profluxerit; neq; noui aliquid ornamenti addit, neq; prorsus simile est epiphonemati, sed compellationi, siue acri obiurgationi.

Σχόλιον. Enthymema & sententia habent similitudinem cum epiphonemate; sed hoc tamen ab illorum vtroq; differt, & facile discerni possunt. Primũ enim non idem finis est epiphonematis, qui enthymematis. Hoc enim adhibetur demonstrandi, siue probandi gratia, illud non nisi ornandi. Enthymema autẽ in extremo etiã sæpe ponitur, vt solent epiphonemata: vbi forte quis ipsum vtriusq; vices explere iudicet. Γνώμη quoq; vel initio vel in fine ponitur. Initio

positam nemo suspicabitur esse epiphonema. In fine non est absurdum sentire, quod alijs quoq; in mentem venit; interdum sententiam esse simul epiphonema: etsi epiphonema neq; enthymema, neq; sententiam esse necesse est. Cum autem quodcunque rei narratæ subijcitur, vt non exornet: neque hoc est epiphonema. Vt in hoc versu Homeri: Νήπιος, οὐδ' ἄρ ἔμελλε κακὰς ὑπὸ κῆρας ἀλύξειν: sed esse videtur vel προσφώνημα, vel ἐπικερτόμημα. Non igitur erit epiphonema Δ. A. in oratione Mineruæ; vbi persecuta fuit exitium Ægitsthi: ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅ, τις τοιαῦτά γε ῥέζοι: καὶ τὰ ἑξ.

CAP. XXXIV.

De magnificentia quæ nascitur ex dictione poëtica

VLTIMVM est in charactere magnifico, dictio poëtica. Poëticum verò in oratione amplum esse, vel cæco appareat, vt dicitur. Cæterum in adsciscendis poëticis non eadem ratio est. Aliqui enim nuda prorsus vtuntur imitatione poëtarum, quæq; potius non imitatio, sed transpositio vocari debeat: quemadmodum Herodotus. Alia est Thucydidis ratio, qui quamuis à poëta sumpserit, suum id tamen facit. Vt cum Homerus de Creta inquit: Formosa & pinguis, circumflua. *Hac postrema dictione vsus est, vt ampliorem orationem redderet, quam si simpliciter insulam appellasset. Thucydides autem pulchrum esse putat, Siceliotas concordia coniungi,* cum vna sit regio, atq; ea circumflua. *Qui cum eadem omnia dixisset terram pro insula, & eodem modo circum-*

circumfluam, tamen aliud dicere videtur, quia non ad amplitudinem orationis, sed ad concordiam persuadendam iis vsus est. Neque tamen non, quia poëtica est dictio, aucta videtur esse orationis dignitas. Hæc sufficiant de dictione.

Σχόλιον. Pleraque poëticam maximam partem repudiantur ex oratione soluta, vt sunt vocabula iuncta non simpliciter, peregrina pleraque, procul petitæ & crebriores translationes, hyperbolæ, epitheta, & quæ alia poëtæ affectant; tamen quædam poëtica non solum admittuntur, sed etiam adsciscuntur, ad pariendum aliquid granditatis. Præcipuè ex Homero veteres multa sumpserunt. In his sunt principes, Herodotus, Thucydides, Plato. Laudantur ii potissimum, qui non transponunt, sed arte imitantur, & ad se transferunt, vt illa aliorum non fuisse, nedum hi ab aliis accepisse videantur. Exemplum artificiosæ imitationis hoc est apud Thucydidem. Cum enim de Creta sic Homerus, Δ.Τ. Κρήτη τις γαῖ᾽ ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ καλὴ καὶ πίειρα περίρρυτος; hanc postremam dictionem in vsum suum conuertit magna arte Thucydides lib. IV. hoc loco. τὸ δὲ ξύμπαν γείτονας ὄντας, καὶ ξυνοίκους μιᾶς χώρας, καὶ περιρρύτου, καὶ ὄνομα ἓν κεκλημένους Σικελιώτας. Sed huius poëticæ imitationis alia est prorsus aliena, vti diximus, alia summi artificii, quæ laudem meretur singularem, tertia est mediocris, non prorsus abiicienda, & alicubi etiam non inepta. Licet autem vtriusque posterioris exempla inuenire apud bonos scriptores: prima non vtuntur, nisi cum

CAP. XXXV.

De magnificentia quæ in constructione verborum consistit, & primò de numeris characteris magnifici.

IAm *agemus de compositione characteris magnifici.* Primum *est, vt pedes apti adsciscantur. In hoc enim omnibus magistris dicendi conuenit, numerosam esse oportere orationem, sed non ita astrictam numeris, vt sunt versus poëtarum, verum liberius multò.* Non *enim, vt omnium syllabarum omnibus in locis habeatur ratio, sed quorundam alicubi. Debent enim numeri esse non nimis crebri, neq; affectati, etsi quæsitos esse nihil prohibet. Sed non omnibus numeris locus est in oratione soluta, non quod vlli ab ea excludantur. Fieri enim non potest, quin alicubi incidat modò hic pes, modò alius: sed alibi aliis vtendum est: & quidem alij characteres alios postulant. Sed quoniam vnum est, vt sciamus, quos pedes, siue quorum pedum continuationem vitemus; alterum, quos vsurpemus, neq; tamen ipsos continentes, sed inserentes paullò frequentius; de pedum simplicium vi agemus initio breuiter. Simplices autem sunt vel dissyllabi, vel trisyllabi: quadrisyllabi ex dissyllabis compositi sunt, ideoque de ijs multum hoc loco præcipere nihil attinet, quod, qui quid illi valeant intelligit, de his facilè iudicabit. Dissyllabi quatuor sunt: pyrrichius, spondeus, iambus, trochæus. Pedum breui syllaborum dux est* pyrrichius, *constans è duabus breuibus, vt* neque|simi|lis e|rit pa|tris. *In hoc nihil amplitudinis aut grauitatis est.* Spondeus *dignitatem habet & multum grauitatis, vt* : Quare | nunquam|conser|uabunt | vrbes| *Hic vsurpatus ordine continuato orationem efficit non*

amplius

amplius grauem, sed lentam & veluti pigram. Iambus *constans ex priore breui, & longa altera, generosi prorsus nihil habet, estque planè plebeius, ideoque humilis, ac propterea fugienda & ipsius multa continuatio, vt:* Et il|le nunc|super|bus &|super|fluens|. *Pedem ipsum fugere neque debemus, neque vllo modo possumus.* Trochæus *constans ex longa priori, & breui altera, multo adhuc mollior, & generositatis habet minus, ac vicinus cordaci, quemadmodum loquitur Aristoteles: vt:* Perge| mi pu|er, bo|nasque| litte|ras a|ma. *Octo sunt pedes simplices trisyllabi.* Choreus *dictus etiam, vti est, tribrachys, constans tribus breuibus. vt:* Facilè|canere|potero|fidibus|. Celebris|habitat|apud o|lida pe|cua sto|liditas. *In hyporchemate Scaligeri. Humilis est, nihil habens graue, neque quidquam generosum ex eo confieri queat. Itaque in oratione eius vsus non est, sed tantum in ludicris & leuibus carminibus.* Molossus *constans ex tribus longis, vt:* Quare con|turbas rem| ciuilem| ? *Grandis est & dignitatem habet, neque tamen continuandus, vt neque spondeus.* Amphibrachys *constat, vt nomen indicat, ex prima & vltima breuibus, longa media. Non est ex admodum laudatis pedibus, sed confractus & effeminatus, nihil habens generosi. Vt,* recurrit. Anapæstus *constat ex breuibus duabus, & longa vltima. Habet grauitatis multum, eiq; locus est, vbi amplificare rem, aut mouere auditorem velis. Vt,* redeunt. Dactylus *constans ex prima longa, reliquis duabus breuibus: Vt:* In sonu|ere ca|uæ, gemi|tumq; de|dere ca|uernæ|. Creticus *constans ex media breui, & extremis longis. Non habetur ingenerosus, vt:* Constat ex| pluribus|rebus o|ratio.| Baccheus, *constans duabus lon-*

bus longis & media breui. Formam virilem appellat, & ait accommodatum ad grauitatem Halicarnasseus. Vt, integros. Hypobaccheus *constans prima breui, & duabus longis: qui & ipse dignitatem habet & magnitudinem. Vt,* redirent. *Hi pedes appellantur simplices. Pedes porro quadrisyllabi sedecim sunt, quos relinquemus etiam nos, praeterea duos paeanas, primum scilicet & quartum. Aristoteles enim auctor est, magnificam esse compositionem ex paeanibus. Sunt autem paeanis species potissimum duae. Vnus principiis congruit, cuius principium est syllaba longa, tres vero breues terminant. Vt:* desinite, incipite, comprimite. *Alter accommodatus clausulae, priori oppositus, cuius initium sunt tres breues, terminat vna longa. vt.* Domuerunt|, sonipedes| *quemadmodum olim fuerunt Arabei dicti modi. Oportet autem in orationis magnificae membris ita vtrumque collocare, vt nomina adepti sunt, initialem praecedere, finalem sequi. Exemplum est apud historicum cumprimis magnificum Thucydidem, initio descriptionis pestis Atticae:* Principia| vero mali fuerunt, vt aiunt ex Æ|thiopia. *Liceat enim, etsi minus concinnè, interpretari, seruatis tamen vtrobique pedibus. Qua igitur potissimum de caussa Aristoteles sic praecepit? Quoniam oportet & frontem membri siue initium magnificum statim esse, & finem. Vtrumq; autem fiet, si à longa ordiamur & in longa desinamus: quemadmodum & tubicines canere consuerunt, dato tuba initio, sono productiore, subsequentibus correptis, facto itidem fine longo breuibus antecedentibus. Natura enim magnificum quiddam est in syllaba longa, atque ipsa initio edita ferit statim: & desinens in magno quodam relinquit auditorem. Itaque omnes & prima & postrema potissimum*

recorda-

recordamur, & ab ijs mouemur: ab intermedijs vero minus, vtpote quæ veluti tecta sint, & euanescant. Hoc autem maximè apparet in Thucydide. Fermè enim in vniuersum in omnibus apud eum magnificentiam parit numeri longitudo: & parum abest, quin apud hunc scriptorem magnifica sint omnia, ratione solius compositionis, aut certè ea potissimum, quòd maximum sit. Animaduertendum autem est: si exquisitè pæanas orationi applicare non possimus vtrinque ambos, pæanicam tamen faciamus compositionem: veluti si à longis ordiamur, & in longis terminemus. Hoc etenim videtur præcipere Aristoteles, qui tamen duplex pæanis genus in arte tradit, vt esset exquisitus in ea re. Quapropter Theophrastus hoc membrum ponit exemplum magnificentiæ: Qui res quoque pre|tii nullius|philosophantur. Non enim ex pæanibus exquisitè constat, sed est tamen quiddam pæanicum, etsi syllaba longa ante primum pæanem posita sit, & vltimum pæanem vna etiam sequatur syllaba. Recipiamus igitur in orationem pæanem, quia mixtus aliquis est & tutior, qui quod magnificum est, petit à syllaba longa, quod aptus orationi, habet à breuibus. Cæteri vero, primùm herous grauis est & non aptus orationi, sed sonorus; neque numerosus est, sed caret numero, quod & supra de spondeo dictum est, cum vniusmodi sit, & prorsus hic. Crebritas enim longarum syllabarum transit mensuram orationis: & quidem hæc de heroo altero. De dactylo etiam ex superioribus non est obscurum. Iambus vilis est & humilis, similisque dictioni vulgi. Igitur multi versus iambicos loquuntur, & se loqui nesciunt. Pæan autem inter hos medius & moderatus & veluti mixtus est. Quare & non immerito in magnificis compositio pæanica sumenda sit.

Σχόλιον.

Σχόλιον. In compoſitione characteris magnifici prima conſideratio eſt de numeris. Namq; vt ait Ariſtoteles, τὸ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι, μήτ' ἄρυθμον. Oportet formam orationis neque è verſibus conflatam eſſe, neq; omnium numerorum expertem. Cur non ἔμμετρον? Hæc enim ratio nihil valet ad perſuadendum, immo officit plurimum, cum tamen illud orator potiſſimum, pænèq; vnicum ſpectet. Hoc enim fictum magnaq; arte ad fraudes cogitata formatum eſſe creditur. Alterum eſt, quòd auditorem auertit ab attentione rei præſentis. Facit enim, vt aduertat in ſimile quiddam, & quando id ſecuturum ſit, exſpectet. Vtrumq; nocet inſtituto oratoris, qui oratione ſua, vt diximus, velit fidē facere. Nemo enim fingenti, aut ei, quem putat aliquid fingere, credit: nemo item audit attentè artis cuiuſcunq; oſtentatorem, niſi quod ad id artificium attinet. Cur autem non ἄρυθμον? Quia etſi non verſu poëtico, aut huic ſimili, terminari tamen orationem oportet. Terminantur autē omnia menſura numerorum. Igitur numeris opus eſt in dicendo. Quod ſi contra numeros tollas, in infinitū labetur oratio, vel in nimis longum quoddam, quod mente aſſequi nequeas, producetur. Hoc autem & iniucundum moleſtumq; eſt auditori, & facit, vt nihil eorum, quæ dicūtur accipias, vel parū accipias, vel non rectè accipias. Huiuſmodi igitur forma oratori fugienda eſt. Altera igitur deligenda & vſurpanda. Nec vero perinde eſſe putandum eſt, cuiuſmodi numeris comprehendatur atque termi-

netur oratio, siue partes orationis. Sunt enim alii lenti, alii celeres, alii graues, alii aliter se habent, qui omnes omnibus locis non queant cõuenire. Itaq; omnes cgnoscendi sunt, & exploranda singulorũ vis, vt, ineptos excludamus, siue ex omni oratione, siue vbi inepti sint? vtamur conuenientibus, siue per omnem orationem, si vbique conueniant, siue in illis eius partibus, vbi conueniant. Itaq; de pedibus, qui sunt mensura numerorum, rectè aliqua tradunt magistri dicendi: quæ dicat quis esse obuia, sunt tamen minimè negligenda. Non attinet de omnibus denuo dicere. De Baccheo sic Dionysius, Ἐὰν δὲ τὴν ἀρχὴν αἱ δύο μακραὶ κατάσχωσι, τὴν δὲ τελευτὴν βραχεῖα· οἷά ἐστι τουτί· σοὶ φοῖβε|μοῦσαί τε|συμβῶμεν|. Ἀνδρῶδες δὲ πάνυ τοῦτο σχῆμα, καὶ εἰς σεμνότητα λογίαν ἐπιτήδειον. De Hypobaccheo vero: καὶ γὰρ οὗτος ὁ ῥυθμὸς ἀξίωμα ἔχει καὶ μέγεθος: cuius hoc exemplum subiicit. τίν' ἀκτάν;|τίν' ὕλαν|δράμω; ποῖ|πορευθῶ; Pæanas autem præ omnibus commendat, & sic partitur Aristoteles. ἔστι δὲ παιᾶνος δύο εἴδη, ἀντικείμενα ἀλλήλοις· ὧν τὸ μὲν ἀρχῇ ἁρμόττει, ὥσπερ καὶ χρῶνται. οὗτος δ' ἐστὶ, οὗ ἀρχὴ μὲν μακρὰ, τελευτῶσι δὲ τρεῖς βραχεῖαι. ἕτερος δ' ἐξ ἐναντίας, οὗ βραχεῖαι ἄρχουσι τρεῖς, ἡ δὲ μακρὰ τελευτᾷ. οὗτος δὲ τελευτὴν ποιεῖ. ἡ γὰρ βραχεῖα, διὰ τὸ ἀτελὲς εἶναι, ποιεῖ κολοβόν. Παιῶνας nominat Demetrius, & quidem primum, προκαταρκτικὸν, quod principio, vltimum καταληκτικὸν quod fini conueniat. Exemplum Thucydidis de peste Attica, è libro II. hoc est, ἤρξατο|δὲ τὸ κακὸν ἐξ Αἰ|θιοπίας: etsi hæc verba apud scriptorẽ paullò aliter leguntur: nec tamen non eodem

facit.

facit exemplum, licet non præcisè. Ἤρξατο δὲ τὸ μὲν πρῶτον, ὡς λέγεται, ἐξ Αἰθιοπίας, τῆς ὑπερ Αἰγύπτου: Et obseruatu dignum est, non exquisitos pæanas requiri; quod probat exemplū Theophrasti: τῶν μὲν περὶ τὰ μηδενὸς ἄξια φιλοσοφούντων. Heroum, hoc est spondeum, Phalereus appellat, σεμνὸν καὶ οὐ λογικὸν, ἀλλ' ἠχώδη; οὐδ' ἔρρυθμον, ἀλλ' ἀνάρυθμόν. Exemplum: ἥκειν ἡμῶν εἰς τὴν χώραν: vbi omnia lenta & vniformia orationis figuram facilè deformant. Sunt autem heroi & spondeus & dactylus, de quibus sic philosophus: τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος, σεμνὸς καὶ λεκτικὸς, καὶ ἁρμονίας δεόμενος. De cuius loci sententia paucis disputari non potest. De eo igitur alias, & est omnino operæpretium. Longinus autem alterum heroum, dactylum videlicet valde probat. Vbi hunc locum Demosthenis producit ex oratione pro Ctesiphonte. Τοῦτο τὸ ψήφισμα τὸν τότε τῇ πόλει περιστάντα κίνδυνον παρελθεῖν ἐποίησεν, ὥσπερ νέφος: Addit enim. Ἀλλ' αὐτῆς τῆς διανοίας οὐκ ἔλαττον τῇ ἁρμονίᾳ πεφάνηται. ὅλον τε γὰρ ἐπὶ τῶν δακτυλικῶν εἴρηται ῥυθμῶν. εὐγενέστατοι οὗτοι, καὶ μεγαλοποιοί. διὸ καὶ τὸ ἡρῷων; ὧν ἴσμεν κάλλιστον μέτρον συνιστᾶσιν. Quod autem asseuerat de dactylicis rythmis, id ita intelligendum iudico, vt pedes, etiamsi sint crebri, vel quæsiti, tamen lateant, nec versum heroicum, aut eius particulam insignem faciant. Sic nascetur heroicus rythmus, quem artifex intelligat, pariat, iudicet, ceterorum animaduertat nemo. Hoc voluisse nobilem illum dicendi magistrum ex oratoris loco coniecturam facio: habet enim nec multos & tectos tamen, dactylicos rythmos. De

mos. De iambo quis nesciat esse plebeium, in omnium vsu, & propterea vilem? Hac etiam de caussa comici iambo vtuntur maximè, quia ad populi sermonem debent, volūntq; proximè accedere: est enim in comœdijs negotium plebis, & actio ad populum.

CAP. XXXVI.

De magnitudine quæ à membrorum productione oritur.

SECVNDO, *productiones quoq; membrorum efficiunt magnitudinem, cuiusmodi sunt principia Thucydidis & Heroditi.* Thucydides Atheniensis conscripsit bellum Peloponnesiorum & Atheniensium. Heroditi Halicarnassei historiæ narratio hæc est. *Tale est initium epistolæ Seruij.* Posteaquam mihi narratum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ. *Quod si enim statim conticescas, quod fit breui posito membro; conteritur orationis grauitas, etiamsi tum subiecta sententia, tum dictio sit magnifica.*

Σχόλιον. Longa membra in Thucydide passim sunt obuia. Tali exorsus fuit. Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων. Ante hunc vero etiam Herodotus. Ἡροδότου Ἁλικαρνασσῆος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε

CAP. XXXVII.

De ea item quæ ex orationis circumductione.

TERTIO *magnificum etiam est, si in compositione orationis circumductione vt aris, vt hic Thucydi-*

dis lib. II: Achelous enim fluuius ex Pindo profluens per Dolopiam, perq; Agrianorum & Amphilochorum & per Acarnanicum solum, sursum ad vrbem Straton in mare ingrediens ad Oeniadas eorumq; vrbem lacu ambiens, inundinatione sua impedimento est, quo minus hyeme ijs locis expeditio suscipi possit. *Vniuersa enim hæc magnificentia, ex circumductione nata est, & inde, quod tũ ipse scriptor, tum auditor vix quieuit. Quod si quis ea omnia dissoluat, & sic cõponat*: Achelous enim fluuius fluit ex mõte Pindo, & in mare præcipitat ad Oeniadas, sed prius tamẽ in solo Oeniadum stagnum facit, vt hybernas incursiones hostium aqua arceat. *Qui hoc modo illa mutata reddat; is & dederit, vbi conquiescat oratio, & magnitudinem ademerit. Quemadmodum enim frequentia diuerticula longas vias faciunt breuiores, atq; solitudines viarum quantumuis breuium, quandam habent speciem longitudinis; ita quoq; in membris fieri videatur.*

Σχόλιον. Exemplum Latinè reddidimus. Verba historici libro II. hæc sunt. Ὁ γὰρ Ἀχελῷος ποταμὸς ῥέων ἐκ Πίνδου ὄρους διὰ Δολοπίας καὶ Ἀγραιῶν καὶ Ἀμφιλόχων, καὶ διὰ τοῦ Ἀκαρνικοῦ πεδίου ἄνωθεν παρὰ Στρατὸν πόλιν ἐς θάλασσαν διεξιεὶς παρ' Οἰνιάδας, καὶ τὴν πόλιν αὐτοῖς περιλιμνάζων, ἄπορον ποιεῖ ὑπὸ τοῦ ὕδατος ἐν χειμῶνι στρατεύειν. Sic autem resoluerentur. Ὁ γὰρ Ἀχελῷος ποταμὸς, ῥεῖ μὲν ἐκ Πίνδου ὄρους; ἐκβάλλει δὲ παρ' Οἰνιάδας ἐς θάλασσαν; περὶ δὲ τῆς ἐκβολῆς τῶν Οἰνιάδων πεδίον λίμνην ποιεῖ, ὥστ' αὐτῆς τὰς χειμερινὰς ἐφόδους τῶν πολεμίων ἔρυμα καὶ πρόβλημα γίνεσθαι ὕδωρ.

CAP. XXXVIII.

Et quæ ex compositionis asperitate.

QVARTO etiam asperitas compositionis in multis magnitudinem facit, vt in illo versu quo Aiacem poëta semper ingruisse in Hectorem canit: alias enim fortasse molestus auribus foret cõcursus litterarum: ipsa autem exsuperantia magnitudinem herois ostendit. Læuor enim, quodq; gratum est auribus, non admodum habent locũ in magnificentia. Et Thucydides ferè vbiq; fugit læuorem & compositionis æquabilitatem, & semper potius impingenti similis est, quemadmodum qui asperis viis ingrediuntur: quod plurimis locis ostendi posset. Si vero suauitatem sequeretur, (sæpe enim facilè foret) decederet multum de magnificentia, vel potius hæc ipsa multis in locis euanesceret. Quemadmodum enim nomen asperum magnificentiam efficit, ita & compositio. Nomina aspera sunt, vt fragor, horror. Huius generis omnibus vtitur Thucydides: sumit enim similia nomina compositioni, & compositionem similem nominibus facit, vt nomina sint aspera, compositio confragosa.

Σχόλιον. Probatur hic quoq; sonus horridus & asper, tum in dictionibus, tum in compositione. Versum Homeri de Aiace ante produximus, qui cum mihi non occurrat, puto intellexisse de Teucro, qui versus est, A. O. Τεῦκρος δ' ἄλλον ὀϊστὸν ἐφ' Ἕκτορι χαλκορυστῇ Αἴνυτο. Thucydides hoc genus affectasse creditur. Potuisset enim multa, si voluisset, eloqui suauius. Vt hoc ex libro II. de peste Attica. τὸ μὲν δὴ ἔτος, ὡς ὡμολόγητο, ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν. Hoc ex

aſperitate compoſitionis apparet magnificum. Tranſpoſitione enim huiuſmodi facta: ἄνοσον ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας οὐ ἐτύγχανεν: ſuſtuliſſet magnificentiam. In quibus autem dictionibus plurimum ſit aſperitatis, vna etiam littera oſtendit. Κεκραγὼς, pro βοῶν. Ῥυγνύμενον, pro φερόμενον. Talia ſunt: Conſequitur clamorque virum ſtridorque rudentum. Et hæc apud comicum: Ceteros agerem, raperem, ruerem, tunderem, & proſternerem: quæ tamen etiam δεινότητα arguunt.

CAP. XXXIX.

Quo ordine voces in compoſitione magnifica collocaniæ ſint.

QVINTO *in compoſitione magnifica hoc ordine nomina oportet collocare; vt prima ſint, quæ non valde euidentia ſunt, ſecundo & tertio loco euidentiora. Sic enim etiã primum audiemus, vt euidens, & quod ſequitur, vt euidentius. Quod ſi nõ faciamus, videbimur defeciſſe, & veluti delapſi à validiore ad debilius. Illuſtre exemplũ eſt apud Platonẽ.* Si quis ſe det muſicę, vt ipſa animũ circumſonet, & in eum influat. *Secundum enim euidentius eſt priore: atq; iterum progreſſus inquit:* Quod ſi in ea perſeuerans, non deſierit demulceri; tandem eo res progredietur, vt liqueſcat fluatq; voluptate: *Nam eo, quod prius dixerat, liqueſcere, ſignificantius eſt fluere, & proprius accedit ad poëma. Quod ſi priore loco poſuiſſet, tum alterum poſtpoſitum infirmius viſum fuiſſet. Sic & Homerus in Cyclope auget hyperbolen, vbi Vlyſſes refert, monſtrum eſſe ingens, non*

non simile cuiquam mortalium, sed vertici syluoso celsorum montium, qui solus præceteris emineat. Semper enim quæprius magna essent, minora videntur, quando ipsis præterea maiora subijciuntur. Obuia sunt alia exempla apud bonos scriptores, estq; hic veluti canon amplificationum. Alterum de ordine huius characteris est de coniunctionibus. Pertinet ad emendatam orationem, vt in cuiusq; linguæ consuetudine particulæ debitæ reddantur. Sunt enim aliquæ, sibi quæ proprias alias correspondentes flagitent, vt quanquam, tamen, *ne in solœcismum incidamus. Sed hoc non admodum exquisitè in huius characteris compositione obseruatur. Quidquid enim exquisitum est, idem minutum. Sed licet connexionibus illius generis liberius, & quodam modo sine ordine vti, vt fecit Antiphon. Sæpe tamen positæ quodammodo deinceps coniunctiones, etiam quæ exigua sunt, faciunt magna, vt apud Homerum Bœoticorum oppidorum nomina, humilia existentia & parua, molem quodammodo habent, & magnitudinem propter coniunctiones, quæ crebriores deinde positæ sunt, vt in hoc IV. Georg. Drymoq; Xanthoq; Ligeaq; Phyllodoceq;. Expletiuis autem coniunctionibus non vtendum est, veluti explementis, & quasi adnatis, aut notis, quoquo modo expreßit, quemadmodum quidam vtuntur particula,* quidem, sanè, *& similibus, sed si conferant aliquid magnitudini orationis. Exempla paßim obuia sunt apud Platonem, Homerum, Virgiliū. Sed te qui viuum casus, age, fare vicißim. Initiis enim apta coniunctio illic posita, & quæ distrahat à prioribus ea quæ sequuntur, amplum quiddam molita est. Sed huius obseruationis vis in Græca lingua particulis, quæ satis multæ sunt, euidentior est.*

Σχόλιον. Vis huius præcepti eſt, vt obſcurius præcedat, ſequatur illuſtrius: atq; in vniuerſum valet, vt quod minus ſit, primum locum teneat, ſecundum, quod grauius. Locus Platonis III. de Republica cohæret, quo vtrumq; exemplum comprehenditur: habet autem plura orationis ornamenta. σκοπῶ, inquit, ὅταν μέν τις μουσικῇ παρέχῃ καταυλεῖν καὶ καταχεῖν τῆς ψυχῆς διὰ τῶν ὤτων, ὥσπερ διὰ χώνης (ἃς δὴ νῦν ἡμεῖς ἐλέγομεν τὰς γλυκείας τε καὶ μαλακὰς καὶ θρηνώδεις ἁρμονίας) καὶ μινυρίζων τε καὶ γεγανωμένος ὑπὸ τῆς ᾠδῆς διατελῇ τὸν βίον ὅλον, οὗτος τὸ μὲν πρῶτον, εἴ τι θυμοειδὲς εἶχεν, ὥσπερ σίδηρον ἐμάλαξε, καὶ χρήσιμον ἐξ ἀχρήστου καὶ σκληροῦ ἐποίησεν. ὅταν δ᾽ ἐπέχων μὴ ἀνίῃ, ἀλλὰ κηλῇ, τὸ μετὰ τοῦτο ἤδη τήκει καὶ λείβει ἕως ἂν ἐκτήξῃ τὸν θυμὸν, καὶ ἐκτέμῃ, ὥσπερ νεῦρα ἐκ τῆς ψυχῆς, καὶ ποιήσῃ μαλθακὸν αἰχμητήν. Apponamus & verba poëtæ ex Δ. I. qui è magno quopiam ad maius, à maiore ad maximum aſcendit, non tàm verbis, quàm integris pænè ſententijs. Primùm enim monſtrum perterrefacit; magis adhuc moles cacuminis inſtar; ſed maximè ſi ille vertex excelſis montibus impoſitus ſit.

Καὶ γὰρ θαῦμ᾽ ἐτέτυκτο πελώριον, οὐδὲ ἐῴκει
ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
ὑψηλῶν ὀρέων, ὅτε φαίνεται οἶον ἀπ᾽ ἄλλων.

Hęc quidem hyperbolę oratoris non eſt; tamen exemplum egregiè conuenit rationi compoſitionis, de qua hic agitur. Vt dixi, hæc ipſa ratio ad amplificandum pertinet, etiamſi non obſcura, ſed clara præmittantur, vt deinceps ſignificantiora ſequantur. Cuiuſmodi ſunt hæc M. Tullij

Tullij ad Atticū. Vt planè interclusi captiq; sumus! Antè sollicitus eram & angebar. Non angor, sed ardeo dolore. Bellū crudele, & exitiosum. & pró Roscio. In hac vita iudices, quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? Alterum in compositione est de coniunctionibus, quarum quæ ex linguæ proprietate sibi respondent, hic nō simili religione construuntur. Exemplum ex Antiphonte obscurius est, quia mendosum. Ter autem posuerat expletiuam μὲν, cui semel δὲ responderet, in hac periodo, quam partim ex emendatione Mureti, partim ex mea coniectura ponam. ἡ μὲν γὰρ νῆσος (nempe Samothracia) ἐρχομένοις δήλη μὲν καὶ πόῤῥωθεν, καὶ ἔστι μὲν ὑψηλὴ καὶ τραχεῖα, καὶ τὰ μὲν χρήσιμα, καὶ ἐργάσιμα μικρὰ αὐτῆς ἐστὶ; τὰ δὲ ἀργὰ πολλὰ σμικρᾶς αὐτῆς οὔσης. id est: Insula apparet accedentibus, etiam procul, & edita est atq; aspera: agros, qui fructus ferant, & coli possint, habet pauculos: plerosque pigros, cum ipsa etiam pusilla sit. Copulæ tamen quoq; iusto ordine positæ magnitudinem interdum pariunt. Vt in catalogo nauium multa nomina oppidulorum sunt, εὐτελῆ καὶ μικρὰ: in quorum recensione singulari arte vsus fuit poëta, vt nihilominus dignitatem carminis, quo caneret, & rerum, quas caneret, tueretur.

Βοιωτῶν μὲν Πηνέλεως, καὶ Λήϊτος ἦρχον,
ἀρκεσίλαός τε, Προθοήνωρ τε, Κλόνιός τε
οἵ θ' Ὑρίην ἐνέμοντο, καὶ Αὐλίδα πετρήεσσαν,
Σχοῖνόν τε, Σκῶλόν τε, πολύκνημόν τ' Ἐτεωνόν.
Θέσπειαν, Γραῖάν τε, καὶ εὐρύχορον Μυκαλησσόν,

οἵ τ' ἀμφ' Ἅρμ' ἐνέμοντο, καὶ Εἰλέσιον, καὶ Ἐρυθράς,
οἵ τ' Ἐλεῶν' εἶχον. ἠδ' Ὕλην, καὶ Πετεῶνα,
Ὠκαλέην, Μεδεῶνά τ' ἐϋκτίμενον πτολίεθρον.

De quibus ſic Halicarnaſſeus. οὕτως αὐτὰ καλῶς ἐκεῖνος συνύφανε, καὶ παραπληρώμασιν εὐφώνοις διείληφεν, ὥστε μεγαλοπρεπέστατα φαίνεσθαι τούτων ὀνόματα. Sunt autem hic παραπληρώματα, non ſolum copulæ, ſed etiam epitheta. Cæterum coniunctionibus παραπληρωματικαῖς non oportet vti, vt προσθήκαις κεναῖς id eſt acceſſiunculis nihil ad rem facientibus, vel vt προσφύμασι aut παραξύσμασι. πρόσφυμα, quod membro annaſcitur, nec ſolum nulli vſui eſt, ſed & deforme & graue. παράξυσμα videtur ſignificare, quod abraditur, ſiue ramentum: quod tamen ξύσμα, & ἀπόξυσμα dicitur. Forte igitur, vt Victorio viſum eſt, quod ſcarificando vel fricando intumuerit. Seu, vt alii, quod in ſcalptura, vt appendix additur. Sed res ipſa plana eſt, vt de verbo minus conueniat. Sunt autem particulæ notæ, νυ, κεν, ποτε, τοι, δή. Quarum poſtrema granditatis eſt. Vt apud Platonem in Phædro: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ ζεύς. Apud Homerum. Λ. Ξ. ἀλλ' ὅτε δὴ πόρον ἶξον ἐϋρρεῖος ποταμοῖο. Quod ſi dixiſſet: ἀλλ' ὅτε ἐπὶ τὸν πόρον ἀφίκοντο τοῦ ποταμοῦ, viſus fuiſſet μικρὸν λογεῖν, & prȩterea tamquam de vna re dicere. Vis autem huius particulæ etiam παθητικὴ eſt, vt Calypſo ad Vlyſſem Δ. Ε. Διογενὲς λαερτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ; οὕτω δὴ οἶκόνδε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν. Vbi ſublata ea particula, vna affectum ſuſtuleris. Prorſus enim quemadmodum Praxiphanes affirmat, huiuſmodi coniunctiones pro ſingultibus aſſumeban-

mebantur & ſuſpirijs, quemadmodum αἲ αἲ, & φεῦ, quale eſt & hoc poëtæ: καὶ νύκ' ὀδυρομένοισι ἔδυ φάος ἠελίοιο quod habet vim & ſpeciem miſerabilis nominis. Qui autem expletiuas particulas ingerunt non in loco, ſimiles ſunt hiſtrionum. Hi enim præter verſus poetarum quando quotiesque ipſis videtur, plorandi particulas αἲ αἲ, φεῦ, inter agendum pronunciant & infarciunt quo nomine forte non ſemper ſint reprehendendi.

Cap. XL.

Quæ figuræ locutionis compoſitionem magnificam reddant.

Sexto. *Figuræ locutionis ſunt certæ ſpecies quædam compoſitionis: nam qui eadem bis dicat, ſiue duplicet, ſiue iteratò referat, ſiue commutet; is videtur aliter & aliter componere. Oportet igitur quæ ex his commodæ ſunt cuiq; characteri, ordine collocare: vt hæ magnifico, de quo nunc agimus. Primò, anthypallage, quæ eſt commutatio caſuum, vt Virgilius: Vrbem, quam ſtatuo veſtra eſt, ſubducite claſſes. Multo enim amplius eſt, quàm ſi dixiſſet hic ſimpliciter: vrbs veſtra eſt. Vſitato enim more dictum eſſet. Omne autem vſitatum puſillum. Quare hoc quoq; in admirationem inducit neminem. Nirea autem, & ipſum paruum, & res ipſius minores, tres videlicet naues & paucos milites, ipſum magnum, & ipſius res magnas fecit poëta, multaq; ex paucis dupli ci figura & mixta vſus, & relatione & diſſolutione. Inquit enim: Nireus tres naues: Nireus Aglaiæ proles: Nireus, qui pulcherrimus. Ac parum abeſt, quin Nirei, cuius*

in vniuerso poëmate non nisi vno loco mentio facta est, non minus recordemur, quàm Achillis & Vlyßis, quamuis hi singulis pœne versibus decantantur. Caussa autem huius rei est figuræ vis. Quod si ita dixisset, Nireus Aglaiæ filius è Syma tres naues duxit; visus fuisset silentio præterire Nireum. Quemadmodum enim in conuiuiis pauca quædam modo aliquo collocata, multa videntur, ita & in oratione. Multis tamen in locis, id quod dissolutioni contrarium est, videlicet connexio, potius fit caussa magnitudinis: Vt, Militabant Græci, & Cares, & Lycij, & Pamphylij & Phryges. Liuius in oratione T. Quinctij: Varia enim genera armorum, & multa nomina gentium inauditarum, Dacas, & Medos, & Cadusios, & Elimæos, Syros omnes esse. Eiusdem enim coniunctionis positio præ se fert infinitam quandam multitudinem. Neq; tamen non aliquando sublatione copulatæ amplius quiddam efficitur, quàm si iteretur: vt si dicas: Omnes sapientißimos, fortißimos, viros. Amplum etiam in figuris est, neq; in eodem casu manere, vt exempla sunt apud Thucydidem. Etiam conduplicatio efficit magnitudinem: vt in hoc loco: Dracones erant in Caucaso, magnitudine, magnitudine & multitudine. Sic Æschines: Ad Athenienses scribimus; ad Athenienses vero, non quibus præerat Themistocles. Cæterum figuris non ita crebris vtendum: est enim ineptum, & præ se fert quandam sermonis inæqualitatem. Prisci igitur, qui multas figuras in oratione posuerunt, propius accedunt ad cousuetudinem, quàm qui modo nullis vtuntur, quoniam eas artificiosè ponebant.

Σχόλιον. Figuræ dictionis (σχήματα λέξεως) ad compositionem quoque faciunt singulorum characterum. Commodè igitur, quę characteri

maximè

maximè inſeruiant, eidem inſeruntur, Sic enim earum vſus magis apparebit, quàm ſi, vt alij faciunt, ſimul explicentur omnes. Magnifici characteris ſunt, ἀνθυπαλλαγὴ, ἐπαναφορὰ, ἀνάλυσις, συνάφεια, digreſſio à caſu, ἀναδίπλωσις. Primum ἀνθυπαλλαγὴ, quando caſus pro caſu ponitur, minus vſitatus pro vulgatiſſimo. Sic Homerus Δ. Μ. οἱ δὲ δύο σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει Ὀξείῃ κορυφῇ. Vſitatum foret ac propterea μικροπρεπὲς, ac propterea vacaret admiratione: τῶν δὲ δύο σκοπέλων. Ἐπαναφορὰ eſt eiuſdem nominis repetitio. Vt apud eundem in catalogo. Νιρεὺς μὲν τρεῖς νῆας ἄγεν; Νιρεὺς Ἀγλαΐης θ᾽ υἱὸς; Νιρεὺς, ὃς κάλλιστος. In quibus eſt & ἀνάλυσις, id eſt diſſolutio, ſiue nulla connexio facta per copulas: quæ ipſa quoque ratio, quaſi res plures indicat. Quo autem conſilio his figuris poëta vſus fuerit, quantumq; profecerit, antè diximus. Συνάφεια, contraria ratio eſt, qua itidem pauca ſiue minuta, multa videntur, ſiue grandia. Hoc Herodoti exemplo oſtenditur, qui ſic in Polymnia. Ἐκστρατεύοντο Ἕλληνές τε, καὶ Κᾶρες, καὶ Λύκιοι, καὶ Πάμφυλοι, καὶ Φρύγες. Sed oratori videndum, vtra figura quo loco magis rei conueniat. Omiſſio coniunctionis hic conuenit: Deus optimus maximus. Tenuior erit oratio, ſi dicas: optimus & maximus. Ita amplior euaſit oratio, κυρτὰ, φαληριόωντα, de fluctibus, quàm ſi dixiſſet, κυρτὰ καὶ φαληριόωντα. Sequitur aliud σχῆμα, τὸ μὴ ἐπὶ τῆς αὐτῆς πτώσεως μένειν. Non manere in eodem caſu, ſed alium vſurpare quàm in quo cœperis. Quo fecit Thucydides lib. IV. in

narratione de Braſida. καὶ τὸν ἑαυτοῦ κυβερνήτην ἀναγκάσας ὀκεῖλαι τὴν ναῦν, ἐχώρει πρὸς τὴν ἀποβάθραν, καὶ πειρώμενος ἀποβαίνειν, ἀνεκόπη ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων· καὶ τραυματισθεὶς ἐλειποψύχησέ τε, καὶ πεσόντος αὐτοῦ ἐς τὴν παρεξειρεσίαν, ἡ ἀσπὶς περιῤῥύη ἐς τὴν θάλασσαν. Hic à recto caſu in obliquum tranſgreſſus, fecit orationem grandiorem, quàm ſi in illo manens dixiſſet: ἔπεσεν εἰς τὴν παρεξειρεσίαν, καὶ ἔπεσεν εἰς τὴν θάλασσαν. Huc pertinet, idemque facit etiam tranſitio à numero in numerum, & à genere in genus: vt apud poëtam. Δ. Λ. ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων. vbi initio inquiens, ψυχὴ, ſubiicit ἔχων. Et eadem rhapſodia. τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην ἡρακληείην Εἴδωλον, αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι Τέρπεται ἐν θαλίης. Vbi cum dixiſſet βία, & εἴδωλον, ſubiicit tamen, αὐτὸς. Neque vero me fugit, Plutarcho videri, etiam aliò Homerum reſpexiſſe hac generis mutatione. Tamen hi modi ad magnificentiam orationis & ad ornatum pertinent. Cæterum ἀναδίπλωσις, conduplicatio, ſiue παλιλογία, dictionis iteratio, ſiue ἐπανάληψις, nominis reſumptio, ſeruit huic notæ, nec non venuſtæ, & graui, vt vtrobiq; oſtendemus. Exemplum Herodoti eſt: Δράκοντες δέ που ἦσαν ἐν Καυκάσῳ μέγεθος, μέγεθος καὶ πλῆθος. Sic Æſchines in quadam ad Athenienſes epiſtola: Ἀθηναίοις μὲν ἐπιστέλλομεν, Ἀθηναίοις δὲ, οὐκ ἐν οἷς Θεμιστοκλῆς ἐπολιτεύσατο. Recenſitis & explicatis hiſce figuris, monere ſtudioſum dicendi oportet, vt iis vtendum, ſit. Nam quin ſint vtiles, dubitari non poteſt: etſi, vt ait Quinctilianus, omne ſchema eſſet vitium, ſi

non peteretur, ſed accideret. Atq; idem paullo poſt. Vna tamen in re maximè vtilis, (hæc orationis virtus) vt quotidiani & ſemper eodem modo formati ſermonis faſtidium leuet, & nos à vulgari dicendi genere defendat. Quo ſi quis parcè, & cum res poſcet, vtetur, velut aſperſo quodam condimento iucundior erit: at qui nimium affectauerit, ipſam illam gratiam varietatis amittet, quanquam ſunt quædam figuræ ita receptæ, vt pænè hoc ipſum nomen effugerint: quæ etiam ſi fuerint crebriores, aures conſuetas minus ferient. Nam ſecretæ, & extra vulgarem vſum poſitæ, ideoque magis nobiles, vt nouitate aurem excitant, ita copia ſatiant, nec ſe obuias fuiſſe dicenti, ſed conquiſitas, & ex omnibus latebris extractas congeſtasque declarant. Hucuſq; Fabius. Raro igitur vtendum eſt hoc genere. Frequēter enim figuris vti eſt ἀπειρόκαλον, vt ſi quis omnis generis cibos aromatis condiat; & generat ἀνωμαλίαν λόγου. Inæqualitas eſt, cum vna pars tanquam humi iacet, altera prorſus attollitur: aliquam attolli pulchrum eſt, pleraſq; partes æquabiles eſſe decet: quin rari flores orationi aſperſi eius ceteras partes non dehoneſtant, ſed exornant mirificè. Hoc igitur præceptum in omnibus dicendi generibus meminiſſe oportet. Crebrioribus tamen figuris priſci cum laude vſi fuerunt, quod quoniam artem adhibebant, ad ſermonem quotidianum proprius accedebant, quàm deinceps alii oratores ἀσχημάτιστοι, qui neque figuris vterentur, neque probe vti noſſent.

CAP. XLI.

De concursu vocalium in eadem compositione.

VLTIMVM *in compositione considerandum, concursus vocalium, de quo alij aliter senserunt: Isocrates enim, quique eius disciplinam secuti sunt, eas committere cauebant. Contrà alij quidam commiserunt temerè, idque vbicunque. Oportet autem compositionem neque sonoram facere, quòd fit meris vocalibus, vt eas temerè committas, & vt casus tulit, quoniam hæc ratio est quasi orationis diuulsio & dißipatio; neque tamen penitus cauere continuationem litterarum, quod sic fortasse leuior fieret compositio, & minus concinna, planeque muta, cum de dulcedine vocis ex eo concursu vocalium natæ multum decesserit. Considerandum autem primum, & inprimis, quod consuetudo has litteras in nominibus iungit, quamquam ipsa maximè spectat suauitatem, vt Æacus, Aiax, & multa nomina è solis vocalibus componuntur, vt Ææ, Euie. Et certè nihilo asperiorem sonum habent aliis, sed fortè etiam sunt suauiora. Non dicam, quòd poëtæ sæpè affectent concursum vocalium. Neque attinet plura dicere de hac re, quæ magis ad sermonem Græcum, quàm ad Latinum spectare videtur.*

Σχόλιον. De concursu vocalium quid sequendum sit, minus mihi pertinere videtur ad latinam orationem. Maior enim ille accidit apud Græcos, ni fallor, quod plures vocales & diphthongi. Hac in re valet versus: σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε. Isocrates primum vitauit, τὴν τῶν φωνηέντων σύγκρουσιν ἢ σύμπληξιν: intellexit enim

nimios

nimios hiatus & ad pronunciandum esse difficiles, & auribus molestos. Qui si non aliquando declinentur, ita se id prorsus habere videtur: nec tamen propterea necesse est eos nusquam admittere. Ab exemplo siue etiam regula Isocratis stare prorsus videtur Hermogenes, cum inquit: συνθήκη τραχεῖα, ἡ συγκρούσεις φωνηέντων ἔχουσα. Et alibi de membris loquens: μηδ᾽ εἴη σύγκρουσίς τις ἐν αὐτοῖς φωνηέντων, ἀλλὰ συνέχοιτο πάντοθεν τοῖς συμφώνοις, οἷά ἐστι τὰ Ισοκράτους, οὐ γε, οὐ μόνον τὰ κῶλα συνέχεται τοῖς συμφώνοις, ἀλλὰ καὶ πᾶς ὁ λόγος. τοσοῦτον αὐτῷ τῆς εὐφωνίας καὶ τοῦ κάλλους μεμέληκε. Atque iterum concursu vocalium vocare oportere venustam orationem ait: ὅτι μάλιστα δεῖ τῆς ἄνευ συγκρούσεως τῶν φωνηέντων. Mediam rationem probat Phalereus, vt neque nimis sonoram orationem faciamus, vocales temerè fortuitoque committentes, neque prorsus vitemus earundem continuationem. Quid compositionem læuiorem esse attinet, si hac ratione fiat ἀμουσοτέρα & muta? præsertim cum nec iniucundus sit sonus vocalium, quarum beneficio aliquem consonantes edunt. Sine iis enim ad vnam omnes obmutescerent. Nisi etiam essent suaues, neque consuetudo eas coniungeret, vt αἰαίη, ἔνιος. Poëtæ itē propterea affectant: vt ἠέλιος, ὀρέων, pro ἥλιος, ὀρῶν Alicubi si exteratur vocalis, horridior efficitur dictio, vt in hoc: πάντα μὲν τὰ νέα καὶ καλά ἐστιν; si dicas καλά ᾽στι, pro καλά ἐστιν. Deniq; etiā sacerdotes in Ægypto deos septem vocalibus celebrant, quas sonant ordine, auditurq; harum litterarum sonus loco tibiæ & citharæ

tharæ ob suauitatem vocis. Qui igitur ab oratione vocalium concursum eximit, idem etiam concentum & musam eximit: verum hac de re satis. Addam vnum, quod apud Diodorum Siculum Dei nomen, iussum diuinitus ab Hebræis vsurpari, meris vocalibus Ιαῶ scribitur.

CAP. XLII.

De frigore orationis, vitio amplitudini eius propinquo & affini.

PORRO *quemadmodum in vita hominum fit, vt mores aliqui non probati vicini sint admodum & persimiles moribus laudatis & prorsus vrbanis, vt fidentiæ audacia, verecundiæ pudor cum turpitudine, quia accidit in virtutibus & vitiis, vt hæc pro illis, illa pro his habeantur sæpenumero: eodem etiam modo notis elocutionis propinquæ sunt aliquæ vitiosæ. Primùm autem dicamus de ea, quæ proximè accedit ad notam magnificam, cui nomen est frigida. Theophrastus sic definit. Frigidum est quod superat propriam enunciationem, cum sine ratione quid multò grandius effertur, quàm aut rei vilitas tenuitasue patiatur, vt si de luscinia Hesiodea ab accipitre prehensa, dicas, sublato clamore testatam, aut etiam vlulatu, calamitatem, lusciniæ querelam intelligens: hæc enim minuta res tantum tumorem non sustinet. Nascitur autem frigidum in tribus, quemadmodum & magnificum, aut in sententia, aut in dictione, aut in compositione. In sententia, vt si quis, quod poëta dicit, Cyclopem saxo insecutum nauem Vlyssis, sic referat: in ea rupe, quam iaceret Cyclops, dum iaceret, capellas pauisse: cum enim sententia omnem fidem excedat, & hoc*

prorsus fieri non possit; hinc frigus nascitur. Porro in dictione nasci frigus quatuor modis ait Aristoteles; aut enim esse in lingua, aut in attributo; aut in compositione, aut in translatione. In lingua, si peregrinis vocabulis vtaris nulla necessitate; cum linguæ nostræ propria in promptu sint, etsi hinc poëtæ aliquando ornatum petunt, cumprimis epici. In compositis; quando more dithyramborum iuncta fuerit duplicatio nominis: namq; in communi consuetudine composita non minus, quàm simplicia rectè vsurpantur. Neq; poëtica sunt adhibenda, neq; horum similia inuenienda, vt, desertiuagus. In epithetis, non quod his prorsus non vtendum sit, quod non solum iis suus locus est, sed ipsorum quoq; aliquando necessitas, sed videndum ne longa sint, ne intempestiua; ne crebra. In translationibus, si sint inconuenientes, vt comicæ & tragicæ; quod hæ nimis sunt grandes; illæ vtplurimum ridiculæ: si sint obscuræ, quoniam inuentæ sunt; vt rem luculentam reddant: Obscuræ autem, quæ ex longinquo ductæ sunt; vt quis dixit cruenta negotia: Quatuor igitur modis in dictione hoc pacto fieret frigidum: In compositione frigus est, non quæ numerosa est; sed quæ numeris caret; & non nisi longis syllabis constat. Exemplo sit. Quando veni in vestram vrbem; audiui cunctos plaudentes. Nihil enim habet conueniens orationi, neq; firmum, ob continuatas longas syllabas: Etiam frigidum est, versus continuos vel suos vel alienos orationi intexere, quod aliqui consueuerunt, nisi poëtæ testimonio vtaris; neq; eos in continuatione occultare: poëma enim non in loco adhibitum, frigidum est non minus, quàm in versu numeri superuacanei. Atq; in vniuersum, cuiusmodi est ostentatio, tale & frigus: qui enim homo gloriosus est, quæ sibi bona non adsunt, iactat tamen se habere. Sic, qui

qui paruis rebus adiungit tumorem; & ipse in paruis ostentanti se similis est. Ac demum quale est, quod in prouerbio est, ornatum pistillum; tale est & quod in locutione elatum est in paruis rebus. Atqui aiunt quidam oportere res paruas amplè dicere, & signum hoc esse putant eximiæ facultatis dicendi. Ego autem Polycrati quidem oratori concedo, laudanti quempiam in anthitetis & translationibus, & omnibus tropis ad laudandum accommodatis: ludebat enim, non seriò agebat: & ipse ille eius scriptionis tumor lusus est. Ludere igitur liceat mea sententia; quod vero decet, in omni re seruandum est; hoc est, aptè & accomodatè ipsis verbis res singulæ sunt exponendæ, exiles exiliter, & amplæ ampli, quemadmodum Xenophon de Teleboa amne, qui paruus & pulcher est, *inquit: Breuitate enim compositionis & terminationis tantum non monstrauit nobis, paruum eum amnem esse. Alius autem quidam loquens de fluuio, simili Teleboæ, inquit: qui ex Lauricis montibus ruens defertur in mare, tanquam de Nilo lequeretur præcipitante, aut de Istro, cum irrumpit in mare. Omnia igitur hæc frigus vocantur. Ceterum pusilla alio modo magna fiunt, idq; non præter modum, sed nonnunquam etiam necessariò. Seruit enim orator caussæ suæ, ad quam quod conferre putabitur, id necessarium iudicabimus. Exempli gratia, si ducem, qui parua quædam feliciter gesserit, ita efferre laudibus velimus, quasi res illæ maximas feliciter administrasset. Item, quod ephorus Lacedæmone puerum, qui delicatè, & non ex institutis patriæ pila lusisset, virgis cæcidit: ibi enim hoc, quod per se auditu pusillum est, magnificè exaggeramus; quòd qui prauos mores licet exiguos missos faciunt, maioribus malis fenestram patefaciunt; item, ob minuta delicta puniendos magis esse, quàm ob grauia.*

gratia. Hinc natum prouerbium : principium medium totius, quod id simile sit pusillo malo: aut sic: malorum nihil paruum esse. quod etiam philosophorum aliquibus visum fuit, qui æqualitatem delictorum asserebant. Ad eundem hunc modum rem non magnam, quæ bene gesta sit, verbis magnam feceris, non tamen, vt decorum violes, sed vt res magna vtiliter extenuatur, ita & parua extolli posit.

Σχόλιον. Vnusquisq; ex bonis characteribus aduersarium habet improbum, qui tamen boni personam sibi sumit, vt propter affinitatem & similitudinē, non nisi arte discerni possint, prorsus vt in vita communi fit. Sæpe enim timidus appellatur cautus; asotus, liberalis; audax fortis. Contrarius autem magnificio characteri est frigidus. Frigidum est ὑπερβάλλον τὴν οἰκείαν ἀπαγγελίαν; cum res non effertur, quanta est, sed multò tumidius. Vt, ἀπωνδάκωτος ὀ τραπεζοῦται κύλιξ, pro ἀπύθμενος ἐπὶ τραπέζης κύλιξ ὀ τίθεται. Hesychius testatur dictione ἀπωνδάκωτος vsum fuisse Sophoclem Triptolemo, atq; idem interpretatur ἀπύθμενον, fundo carentē. Nam res minuta talem tumorem respuit. Primùm vt interpretētur ἀπωνδάκωτον, diximus: tamen differre maximè video πώνδακα καὶ πυθμένα. πυθμὴν fundus est, πώνδαξ operculum: illud imum, hoc summum: illud coniunctum, hoc fortè impositum. Dicitur enim πώνδαξ ἀμφορέως, amphoræ operculum. Hic igitur in nomine etiam nobis tenebræ. Τραπεζοῦται autem & ipsum videtur nouatū: etsi τραπεζώματα sunt vasa, quæ mensæ imponuntur, & cibi ipsi, vt apud Platonem comicum,

Menelao, ἐπιτραπεζώματα, citante Athenæo lib. XIV. εἰπέ μοι ὡς ὀλίγα λοιπὰ τῶν ἐπιτραπεζωμάτων. Ο γὰρ θεοῖσιν ἐχθρὸς αὐτὰ κατέφαγε: denique & quidem peculiariter, secundæ mensæ, quæ etiam ἐπιδορπίδες; quo nomine suas sentẽtias inscripsit Scaliger. Sed hæc ad rem parum. Frigus orationis non solum est, cum ita inflatur, veluti inani verborũ spiritu; sed etiam cum aut rei tractãdæ sentẽtia vitiosa, maximè hyperbolica affingitur; aut cõpositio numeris carens adhibetur. Nam, vt magnificentia, ita frigus in tribus est, in sententia, in dictione, in compositione. Frigus sententiæ frigidissimũ est, cuiusmodi hoc Timæi, qui laudans Alexandrũ Magnũ, paucioribus ipsum annis occupasse ait vniuersam Asiã, quàm quot annis de bello Persis inferendo orationẽ scripsit Isocrates. Mira vero, inquit, in censura sua Longinus, Macedonis cũ oratore cõtentio. Liquet enim, Timæe, hac de caussa Lacedæmonios, quòd ad fortitudinẽ, Isocrate multò fuisse inferiores, quòd hi Messenen triginta annis occupauerunt, ille orationem solis decẽ composuit. In dictione, ex doctrina ab Aristotele III. rhetoricorum tradita, frigus inest quatuor modis: ἐν διπλοῖς, ἐν γλώτταις, ἐν ἐπιθέτοις, ἐν μεταφοραῖς. Iuncta perperam sunt, vt ἐρημόπλανος, πτωχόμουσος κόλαξ, τελεσφόρος πειθώ. Peregrina vsurpantur, si nostra desint: alias ijs vti tãtum licet poëtis. Vt Lycophron Xerxen nominauit πέλωρον ἄνδρα. Epitheta quædã sunt necessaria, quibus vti oportet: non necessarijs licet rarissimè; & prorsus fugienda eorum longitudo, intempestiuitas;

tas, & crebritas. Translationes deniq; vitabimus ἀπρεπεῖς, καὶ ἀσαφεῖς. Indecoræ ſunt quædam ob ridiculum, vt comicæ, quædam ob nimiam grauitatem, vt tragicæ. Obſcuræ ſunt: vt τρέμοντα ὠχρὰ γράμματα. Tertium eſt compoſitio, ſi nō ſit ἔρρυθμος, ſed ἄρυθμος, cum prorſus negliguntur numeri, vt in exemplo quodam ſuperiore, in quo meræ ſunt longæ, quale & hoc eſt: πάσης ἡμῶν ὀργῆς οὔσης: vbi & dictiones ἰσοσύλλαβοι, quæ res & ipſa faſtidium parit. Quare & dictiones variè miſcendæ ſunt, imprimisq; crebræ μακροσύλλαβοι fugiendæ. Ad compoſitionem pertinet, ne verſus, aut verſuum partes faciamus, aut membra proximè ad verſus accedentia, aut ſimilia verſuum: omnia enim hæc ſunt frigida. Exciderunt tamen etiā ſummis oratoribus verſus inter dicendum. Sed neq; vnus floſculus omnem orationem ſatis expoliet; nec eam vnus neuus, niſi valde inſignis, prorſus dehoneſtabit. Fugiendus autem eſt tumor orationis non minus, quā ἀλαζονεία in vita: vt enim in quotidiana conſuetudine iactatores odioſi & inuiſi ſunt omnibus; ſic ridiculi, qui tumidè dicunt; atq; equidem hæc eſt ἀλαζονεία λόγου. Reliquum eſt, vt videamus, quantū valeat quod dicitur, & magnum argumentū ſingularis dicendi facultatis exiſtimatur, τὸ μικρὰ μεγάλως λέγειν, quæ erat vna ἐπαγγελιῶν inaniū, quas perpetuo ſophiſtæ habebant in ore. Quin ſe quoq; & alios in hoc genere exercebāt, & eorum plæriq; vix vnquam vllam rem grauē aggrediebantur. In his erat Polycrates, qui Buſiridis laudationem confecit,

itemq; Clytemnestræ, vituperationẽ vero Socratis, eius accusatoribus Anytó & Melito gratificans, quibus secundã viri illius innocentissimi accusationem scripsisse legitur. Huic generi & quibusuis μελέτας scribentibus fortasse venia dãda sit, vt materias infames, aut nihili arbitratu suo ornent. Volunt enim illi hac ratione aut exercere ingeniũ, aut ostentare. Neutrum forte conueniat viro graui. Hoc excusationẽ in adolescente mereatur, illud etiam laudẽ. Alioquin προσφόρως ἑρμηνευτέον, τὰ μὲν μικρὰ μικρῶς, τὰ μεγάλα δὲ μεγάλως. Sic de Teleboa fecit Xenophon, vt de pusillo etiã minutè loqueretur: hoc enim cõueniebat. Qui contrà de simili amne scripsit his verbis: ὃς ἀπὸ Λαυρικῶν ὀρέων ὁρμώμενος ἐκδιδοῖ ἐς θάλασσαν, de parua re magnificè locutus, in frigus incidit. Quę ratio etsi falsa est; tamen oratori licet suæ causæ seruiẽti amplificationibus vti. Id exemplis satis declaratur. Quę huc faciant, ex primo Aristotelis de arte dicẽdi peti plura possunt. A principio petuntur argumenta in omni genere dicendi, ad laudandũ & vituperandum, ad suadendum & dissuadendũ, ad accusandum & defendendum. Ipsi iudices hanc regulam sequuntur, vt fecerunt Areopagitæ, qui puerum coturnicibus oculos eruentẽ, tollendũ censuerunt, quod malefici ingenij puer ciuis inprobus futurus videretur, & Carthaginiẽses, qui Hannonem condemnarunt: quam rẽ his verbis Plinius complexus est. Primus hominum leonem manu tractare ausus, & ostendere mansuefactũ Hannon è clarissimis Pœnorũ traditur damnatusq;

tusq; illo argumēto, quoniam nihil non persuasurus vir tā artificis ingenij videbatur, & malè credi libertas ei, cui in tantū cessisset etiā feritas.

CAP. XLIII.

Maximum frigus ex hyperbolis nasci.

CETERVM, *quia frigus in nimio est, iccirco quæ ratio hyperbole dicitur, à nimio nomen nacta, omnium frigidißima est. Est autem triplex: aut enim per similitudinem editur, vt cum poëta Rhesi equos cursu ventis esse similes cecinit; aut per exsuperantiam, vt de ijsdem eodem loco, niue esse candidiores; aut per id, quod fieri non potest, vt quod Græcus poëta de Contentione, Latinus de Fama:* Ingrediturq; solo & caput inter nubila condit. *T. Liuius commemorat in historia, dictum esse à Cælio:* Volucres ad terram delapsas clamore militum: *etsi enim quæuis hyperbole impoßibilis est: neq; enim quid esse queat niue candidius, neque cursu ventis simile; tamen hanc speciem impoßibilem præceteris appellare mihi visum fuit. Quæ etiam potißimum caussa est, vt omnis hyperbole frigida esse videatur, quoniam ei, quod fieri non potest, similis est. Non fortasse nullus erit vsus hyperboles in oratione soluta, sed rarißimus, cum ea quoq; cautione, ne longius à vero recedas, quod & poëtæ aliquando fecisse videri poßint, quibus tamen id studio est. Aristoteles eas iuueniles appellat, quoniam vehementiam indicant, iccirco ijs iratos vti maximè, quibus eas effingere conueniat. Salis est oratio Achillis repudiantis nuptias filiæ Agamemnonis. Alia de caussa ijs maximè comici vtuntur, vt risum ex impoßibili excitent. Quemadmodum quis de voracitate Persarum dixit, rem sine modo augens, totos campos reliquiis ventris eos impleße, in quo scurri-*

litas accessit ad hyperbolen. Item; in malis gestasse boues. Eiusdem generis & hoc; magis caluus quàm serenitas. Item; cucurbitula sanior. Item Sapphicum; auro magis aurea. Non minus in hyperbole hoc dicitur, & impoßibiliter; sed tamen in ipso impoßibili gratiam habet, non frigus. Quare & aliquis maximè miretur diuinam hanc Sapphonem, quod replena periculi, & planè omnem emendationem respuenti, tamen eleganter vsa fuerit. Ex eodem genere fuerit, & fortasse non improbandum; vero verius: item; ita verum, vt oraculum Apollinis: hoc Plautinum; Lubentiorem te faciam quàm lubentia est: hoc item Terentij; Ipsa, si cupiat Salus, Seruare prorsus non potest hanc familiam: multa denique similia, quibus poëtæ, sæpe tuto satis, & cum laude, oratores rarius vti possunt. Atq; hæc de frigore & hyperbole: sequitur, vt de eleganti nota dicamus.

Nihil frigidius est hyperbole. Igitur raro in orationem adsciscenda: Non enim feceris sine periculo, quod & Longinus sensit. Fabius audaciorem ornatum nominat. Poëtæ ijs frequentius vti possunt, & vtuntur tutius. Sunt autem hyperbolę triplices; ἢ καθ' ὁμοιότητα, ἢ καθ' ὑπεροχὴν, ἢ κατὰ τὸ ἀδύνατον; aut per similitudinem, aut per exsuperantiam, aut per impossibile. Exempla sunt passim apud poëtas, Homerus Λ. Κ. de equis Rhesi:

τοῦ δὴ καλλίστους ἵππους ἴδον, ἠδὲ μεγίστους:
λευκότεροι χιόνος, θείειν ἀνέμοισιν ὅμοιοι.

Primum ornat particula expletiua, de qua supra: cum maximos fuisse ait, non discernit magnitudinē à pulchritudine, sed indicat ad hanc

illam

illam etiam requiri: οὐ γὰρ τὸ κάλλος ἄνευ τοῦ μεγέθους; casum etiam mutat ab obliquis diuertens ad rectos; denique addit conuenientes carmini hyperbolas, duas duorum generum; prior exsuperantiæ est, altera similitudinis; asseuerans niue candidiores, celeritate ventos æquare, vt ostendat candidissimos & velocissimos; minuit vero hyperbolen parte versus altera, vt ambæ facilius ferri possint. Hyperbole enim magis ad ἀδύνατον vergit, si dicatur, equos cursu ventos præcurisse. A priscis autem acceptum fuisse hoc scholion Eustathius quoque testatur: ὅτι δύο ὑπερβολὰς ἐπέθηκεν ἐντέχνως, τὴν μὲν ἐξ ὑπερθέσεως, τὴν δὲ ἐξ ὁμοιώσεως. Plutarchus etiam hoc exemplo, vt insigni vsus fuit, cum dixisset: κέχρηται πολλάκις καὶ τῇ ὑπερβολῇ, ἥτις ὑπεραίρουσα τὴν ἀλήθειαν πολλὴν ἐπίτασιν ἐμφαίνει. Horatio autẽ cura est, Ocyor ceruis, & agente nymbos, Ocyor Euro. Ἐξ ἀδυνάτου vero hyperbole est. Λ. Δ. περὶ Ἔριδος:

οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει

vbi τῇ προσωποποιΐᾳ hanc hyperbolen annectit. Primum, vt interpres Græcus ait, τὸ οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, στρυφνῶς πέφρασται, ἀντὶ τοῦ ἕως εἰς οὐρανὸν ἐλθοῦσα οὐ δύναται ὑπεραναβῆναι. Firmat caput cælo, non solum, vt contentionem magnam, sed etiam vt ortam non facilè sedari intelligamus, nec tamen caput cælo infert: igitur ἐντελῶς ἅμα καὶ ἀσφαλῶς ἔφρασε. Nam omnem fidem superaret, Erin, vt mulierem, in terra pedes figere, cœlo caput abscondere; immo nulla pars Eridis latet, tota ab omnibus cernitur. Hæc hyperbolarum tertia species ἀδύνατος dicitur, quia hoc eximium

mium habet, cùm ceteræ quoque sint ἀδυνάτοι. Non igitur mirum, cum quotquot sunt hyperbolæ, habeant in se, quod fieri non possit; frigidas vt plurimum esse, si accuratius considerentur. Deprehenduntur autem statim ὑπερβολαὶ ὑπερβάλλουσαι, cum scilicet figura omnis euanescit, & nudum mendacium ab omnibus conspicitur. Tum qui eas vsurpauit stultitiam prodit, & merito suo ridiculus est. Sed sapiunt in hoc comici, cum hoc genus studio quærunt, vt risum excitent: qua de caussa neque scurrilia fugiunt, quæ tamen ab omni sermone & oratione procul exigunt boni viri. Comica sunt: πεδία ἐξέχοντα ὅλα. Item: βοῦς ἐν γνάθοις ἔφερον. Item hyperbolæ, siue potius mendacia militis gloriosi & parasiti apud Plautum. Quo igitur loco orator risum mouere volet, vtetur & comicis hyperbolis, etsi non omnis generis. Diximus initio non esse omnes frigidas. Hæ sunt non nimis impudentes. Verecundiores aliquæ etiam in vulgi ora venerunt; vt sunt, φαλακρώτερος εὐδίας, κολοκύντης ὑγιέστερος, quarum quædam ne quidem hyperbolæ esse iudicantur, cum ita tritæ iam sint. Simile est hoc Sapphonis, χρυσοῦ χρυσοτέρα, non carens sua venustate, etsi est hyperbole, quòd magis aureum, quàm ipsum aurum, nihil esse possit. Meretur igitur Sappho, quantam laudem diximus in re tam ardua. Aristoteles περὶ ἀστείων docens, refert εὐδοκιμούσας ὑπερβολὰς inter translationes & μειρακιώδεις nominat, quia acrē animi motum indicant. Igitur iis irati maximè vtuntur, vt Achilles Α. I. οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα

ψάμα-

ψάμαθός τε κόνις τε, Et paullò post: οὐδ᾽ εἰ χρυσείῃ Ἀφροδίτῃ κάλλος ἐρίζοι, ἔργα δ᾽ Ἀθηναίῃ γλαυκώπιδι ἰσοφαρίζοι, οὐδέ μιν ὣς γαμέω. Quare crebris vtendum non est: & quibus in dicendo & scribendo vti velis, videndum, cum omnis hyperbole sit vltra fidem, nec tamen vltra modum. πιθαναὶ γάρ εἰσιν, ὅταν τὸ μέτριον ἔχωσιν. Hyperbole est de Memmio, homine prælongo, caput eum ad fornicem Fabii offendisse. Vbi risus etiam quæsitus videtur. Cicero de M. Antonij ingluuie, Philippica II. In cœtu vero populi Romani, negotium gerens magister equitum, cui ructare turpe est, is vomens, fructis esculentis vinum redolentibus gremium suum & totum tribunal impleuit. Addam exemplum, quod Græcus quoque magister dicendi mirificè probauit, ex libro VII. historiæ Thucydidis, vbi narrat in fluuium descendisse Peloponnesios, eosque trucidasse, qui in fluuio essent, vnde aquam statim corruptam, tamen haustam cœnosam & cruentam, ac de ea concertasse multos. οἵ τε Πελοποννήσιοι, inquit, ἐπικαταβάντες, τοὺς ἐν τῷ ποταμῷ μάλιστα ἔσφαζον; καὶ τὸ ὕδωρ εὐθὺς διέφθαρτο, ἀλλ᾽ οὐδὲν ἧσσον ἐπίνετό τε ὁμοῦ τῷ πηλῷ ἡματωμένον, καὶ περιμάχητον ἦν τοῖς πολλοῖς. Subiicit censor. αἷμα καὶ πηλὸν πινόμενα, ὅμως εἶναι περιμάχητα ἔτι, ποιεῖ πιστὸν ἡ τοῦ πάθους ὑπεροχὴ, καὶ περίστασις. Valent autem hyperbolarum aliæ ἐπὶ τὸ μεῖζον, aliæ ἐπὶ τὸ ἔλαττον; aliæ rem augent, aliæ minuunt. Nam ὑπερβάλλει & is, qui cui manus attulerit, eum se digito vix attigisse contendat.

CAP.

CAP. XLIV.

De charactere orationis eleganti seu venusto.

ELEGANS *oratio est venustas & respersa hilaritate oratio. Venerum autem aliquæ maiores sunt & grauiores, vt poëtarum, aliæ humiliores & magis comicæ, vt veneres Aristophanis, Sophronis & Lysiæ: eius hoc de vetula dictum est, cujus quis citius dentes, quàm digitos numerarit; & alterum: quot plagas accipere meritus erat, tot accepit drachmas. Hæ vrbanitates non discrepant à dicacibus vocibus, neque multum absunt à scurrilitate. Contrà quod canit Latinus poëta:*

——————illa pharethram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes:
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus:

quæ huiusmodi sunt dicuntur graues veneres & amplæ. Vtitur & iis Homerus etiam ad exacerbandum aliquando, & vim rebus addendam, estque terribilior, dum ludit; ac videtur primus inuenisse veneres terribiles. Eiusmodi est, quod affinxit personæ ab omni venere, & gratia alienissimæ, Cyclopi videlicet: Vt in extremum ego comedam; ceteris antè deuoratis, quod Cyclopis munus est. Neque enim vsque adeo dirum demonstrauit ex aliis, neque cum duos Vlyssis socios deuorat, neque ex ingenti saxo, quod foribus antri quotidie obuoluebat, neque è claua: quantopere ex hoc vrbano dicto, quo simul crudelium bonitas, sic vt audienti terrori sit, depingitur. Vtitur vero eiusmodi specie etiam Xenophon, atque ipse acerbitates inducit in leporibus, veluti in armata saltatrice. Cum enim induciis cum Corylæ

factis

factis in conuiuio non vnius generis saltationes fuissent institutæ; in medium producitur pulcherrimè ornata mulier, leuem manu clypeum ipsa ferens, quæ facilimè saltaret pyrrichen cum plausu maximo. Ibi tum quærebat Paphlago, nunquid vnà cum ipsis prælium inirent mulieres, respondit quispiam: eas esse, quæ ipsorum regem è castris in fugam vertissent. Elucescit autem duplex vehementia ex hoc tam venusto responso; vna, secutas fuisse non mulieres, sed Amazonas, quæ in pugnam vna descenderent; altera aduersus regem, si adeo nullarum erat ille virium, vt à mulieribus in fugam verteretur. Tot igitur sunt & tales species venerum orationis. In quibus autem hæreant hæ veneres, quomodoq; eas venemur porro pro instituta methodo aperiendum est.

Σχόλιον. Orationis ὕψος maximè informat character magnificus, in cuius ratione explicanda quędam tradidimus, profutura in charactere eleganti, & altero graui, nihil forte, quod ad tenuem faciat, quoniam hic humilis dicendi generis magister est. Hic character γλαφυρὸς appellatur, elegans, ornatus, nitidus, venustus, comptus, politus, lepidus, salsus, vrbanus: libet enim pluribus verbis interpretari, quo vis verbi, & res ipsa facilius magisque innotescat. γλαφυρὰ sunt Græcis τὰ τεχνικῶς κοιλαινόμενα, παρὰ τὸ γλάφειν, quod interpretantur cauare, & transferunt ad alia, si quà natura caua sint. Homerus in nobili comparatione de apibus scripsit: Λ. Β. πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων: πέτραν γλαφυρὰν nominans, quod Hesiodus γλαφυ πετρῆεν, vterque ἐπὶ σπηλαίου. Transfertur vlterius, dicunturque νοήματα γλαφυρὰ, & in his

dicendi

dicendi præceptis χαρακτὴρ γλαφυρὸς, χαρίεις, περιπνὸς, λαμπρὸς, etſi λαμπρότητος verbum proxime accedit ad μεγαλοπρέπειαν. χαριεντισμὸς definitur, ὁ ἱλαρὸς λόγος. χάριτες autem aliæ ſunt grauiores & honeſtiores, aliæ viliores & humiliores. Hæ comicorum, quorum locutioni ſimilis eſt & oratoris Lyſię locutio, qui ab humili dicendi genere vix vnquam altius aſcendit? illæ poëtarum, epicorum potiſſimum. Nam comici, quod ad ſermonem, minus accedunt ad poëtas, quod loquuntur vt populus. Lyſiæ comica venus eſt de anu: ἧς ῥᾷον ἄν τις ἀριθμήσειεν ὀδόντας, ἢ τοὺς δακτύλους. Item; ὅσας ἄξιος ἦν λαβεῖν πληγὰς, τοσαύτας εἴληφε δραχμάς. Quæ ipſa ſunt dicteria & pœne contumeliæ. Scomma enim eſt λοιδόρημά τι, ſecundum philoſophum. Lyſiæ autem ipſa verba ex oratione, qua inſectatus fuit Æſchinem Socraticum hæc ſunt, vt prorſus in extremo δειπνοσοφιστῶν libri XIII. referuntur ab Athenæo. Ἀλλὰ γὰρ οὐ τὴν οὐσίαν κέκτηται Ἑρμαίου τοῦ μυροπώλου; τὴν γυναῖκα διαφθείρας ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονυῖαν, ἧς ἐρᾷν προσποιησάμενος, οὕτω διέθηκεν, ὥστε τὸν μὲν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ τοὺς υἱοὺς πτωχοὺς ἐποίησεν; αὐτὸν δὲ αὐτὶ καπήλου μυροπώλην ἀπέδειξεν. οὕτως ἐρωτικῶς τὸ κόριον μετεχειρίζετο τῆς ἡλικίας αὐτῆς ἀπολαύων, ἧς ῥᾷον τοὺς ὀδόντας ἀριθμῆσαι. ὅσου ἐλάττους ἦσαν, ἢ τῆς χειρὸς τοὺς δακτύλους. Exemplum prioris generis eſt in hac comparatione. Δ. Ζ.

Οἵη δ᾽ Ἄρτεμις εἶσι κατ᾽ οὔρεος ἰοχέαιρα,
ἢ κατὰ Τηΰγετον περιμήκετον, ἢ Ἐρύμανθον,
Τερπομένη κάπροισι, καὶ ὠκείαις ἐλάφοισι.
Τῇ δέ θ᾽ ἅμα νύμφαι κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο

Ἀγρονό-

Ἀγρονόμοι παίζουσι, γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ.
Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει ἠδὲ μέτωπα,
Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.

Quæ æmulatus est Latinus poëta. Æneid.1.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi,
Exercet Diana choros, quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
Fert humero, gradiensque deas supereminet omneis:
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Est & aliud genus Homericarum χαρίτων πρὸς δείνωσιν καὶ ἔμφασιν. Δ. I. Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισιν. Cyclopis xenion. Locus Xenophontis est ἀναβάσεως VI. planè in principio, sed huc potissimum hæc verba spectant: ἡ δὲ ὠρχήσατο πυῤῥίχην ἐλαφρῶς. ἐνταῦθα κρότος ἦν πολύς. καὶ οἱ παφλαγόνες ἠρώτων, εἰ καὶ γυναῖκες συνεμάχοντο αὐτοῖς; οἱ δ' ἔλεγον, ὅτι αὗται καὶ αἱ τρεψάμεναι εἶεν τὸν βασιλέα ἐκ τοῦ στρατοπέδου.

CAP. XLV.

Veneres orationis partim ex rebus ipsis, partim ex dictione nasci.

PRIMVM *igitur in rebus ipsis sunt veneres, vt sunt nympharum horti, hymenæi, amores, vniuersa poësis Sapphonis, item Anacreontis. Hæc enim, & quæ huius generis sunt, etiamsi ab ipso Hipponacte, aspero & virulento poëta, exponantur, venusta sunt: & ipsa res per se læta est. Nemo enim hymenæum iratus canit, neque quisquam in expositione sua Cupidinem, Erinnyn aut Gigantem.*

gantem, neque risum ploratum, faciet. Cæterum *rebus ita elegantibus si ornatus etiam dictionis addatur, illæ multo efficiuntur elegantiores ;vt hic:*

Sicut vere nouo iucundum gutture carmen
Filia Pandarei Chloreis promit Aëdon.

Hic enim luscinia est auicula elegans, & ver natura elegans. Ornamenti verò præterea multum accessit è locutione: atque hæc venustiora sunt, nempe Chloreis & Pandarei filia, quando dicuntur de aui; quæ poëtæ propria sunt. Ita in sequenti loco Catulli; & res, quæ incidunt in versus; & verba; quibus versus constant, elegantia inter se certant:

Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ; firmat sol; educat imber,
Multi illum pueri multæ optauere puellæ.

Non solum autem iucunda elocutione fiunt iucundiora, sed res etiam sua natura iniucundæ & odiosæ; sæpè à loquente efficiuntur hilares. Cuius artificij primus inuentor fuisse videtur Xenophon: nactus enim aliquando personã minimè ridiculam Aglaitadam; Persam, ex eo risum venustum inuenit. Ibi enim cum in sermone dixisset ad Hystaspen Aglaitadas: conaris ex me risum exprimere; inquit alter. Sanus non foret, siquidem ex te; mea opinione; ignem excuderit quis facilius, quàm risum elicuerit. Hæc autem venus valet plurimum, & maximè posita est in dicente: res enim ipsa & natura erat odiosa & venustati inimica, quemadmodum Aglaitadas. Xenophon igitur quasi rationem ostendit, qua è talibus sales liceat exprimere, quemadmodum à calidis frigefieri, & à frigidis calefieri. Hactenus præter species venusta-

tum tra-

tùm tradita sunt quædam simul de rebus venustis & venusta dictione, tanquam principia plurium præceptorum. Iisdem vestigiis deinceps insistemus, & locos indicabimus, è quibus ducuntur veneres; cumq; harum aliàs esse in verbis, alias in rebus; satis iam constet, indicabimus locos vtriusque generis seorsim, sed prius eos priore loco qui sunt in verbis siue in dictione.

Σχόλιον. Considerantur & hic, res, dictio, compositio. Sunt enim huic charácteri etiam certæ materię subiectæ. Tales sunt ostensę quoque ab Hermogene, capite περὶ γλυκύτητος, cum exemplis. Exponere licet, inquit, honestas voluptates simpliciter: οἷον κάλλος χωρίου, καὶ φυτείας διαφόρους, καὶ ῥευμάτων ποικιλίας: ταῦτα γὰρ καὶ τῇ ὄψει προσβάλλει ἡδονὴν ὁρώμενα, καὶ τῇ ἀκοῇ, ὅτε ἐξαγγέλλει τις, ὥσπερ ἡ Σαπφώ. Ἀμφὶ δὲ ὕδωρ ψυχρὸν κελαδεῖ δι' ὄσδων μηλίνων, καὶ αἰθυσσομένων δὲ φύλλων κῶμα καταρρεῖ, καὶ ὅσα πρὸ τούτων γε καὶ μετὰ ταῦτα εἴρηται. τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ παρὰ τῷ Πλάτωνι ἐν Φαίδρῳ, οἷον, νὴ τὸν Ηραν καλή γε ἡ καταγωγή. ἥ τε γὰρ πλάτανος αὕτη, καὶ μάλιστα ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή, καὶ τὰ ἑξῆς. In vtroque exemplo res venusta venustior fit elocutione. Vtrumque est in hoc Homeri loco. Δ. Τ.

Ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν
Καλὸν ἀείδησιν ἔαρος νέου ἱσταμένοιο,
Δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν,
Ἥτε θάμια τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν,
Παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ
Κτεῖνε δι' ἀφραδίας κοῦρον Ζήθοιο ἄνακτος.

Debet igitur conuenire res elocutioni, & elocutio rei, nec debet, vt docuimus, pusillum

quiddam magnificè explicari: at in charactere eleganti videtur res quoq; haudquaquam lepida, lepidè interdum explicari posse, quod & rarum est, & singularis artis. Exemplo est apud Xenophontem Cyri παιδ: Β. Aglaitadas τὸν τρόπον τῶν στρυφνωτέρων ἀνθρώπων: narratio inde petatur, cuius hæc est pœnè clausula. Irritatus ille nonnihil ad Hystaspen inquit: Καὶ σὺ δή αὖ, ὦ Ὑστάσπη, γέλωτα πειρᾷ ποιεῖν ἐξ ἐμοῦ; καὶ ὁ λοχαγὸς εἶπε, ναὶ μὰ Δί' ἀνόητός ἄρα ἐστὶν ἐπεὶ ἔκ γε σοῦ πῦρ οἶμαι ῥᾷον ἄν τις ἐκτείψειεν, ἢ γέλωτα ἐξαγάγοι.

CAP. XLVI.

Sexdecim loci, vnde veneres ducuntur quæ in dictione existunt.

STATIM *igitur* prima *venus est è concisione; si idem oratione productum, venustatis amittat aliquid. Est igitur à celeritate illa venus, veluti apud Xenophontem Agiasias Stymphalius de Apollonide, qui Bœotice loqueretur: Re ipsa nihil ei cum Græcia commune est. Vidi enim hominem, vt Lydum, vtraq; aure perforata, idq; ita erat: ipsa concisione venerem parit. Idem si productum fuisset pluribus verbis; verum dixisse Agiasiam; omnino enim Apollonides habebat aures perforatas; nata fuisset nuda narratio pro venere. Sæpe vero etiam duæ res exponuntur vno verbo, ex quo venustas oritur, quemadmodum quis de dormiente Amazone dixit: intensus iacet arcus, sagittarum plena erat pharetra, scutum sub capite, neq; enim ipsæ soluunt cingula. In postremo enim hoc membro, & explicatur lex Amazonũ de cingulis, & hanc ipsam non soluisse cingulũ narratur. Sunt igitur duæ res*

vnæ

vna membrorum explicatione declaratæ, atq; ita hæc concisio elegantiam peperit, quæ nulla esset, aut certè minor, si ita res exponeretur. Neq; etiam dormitura cingulum soluerat. Nam cum somnum capere volunt Amazones, lege quadam sua ipsæ non soluunt cingula.

Secundus *locus est ab ordine: eadē enim res, si aut in principio, aut in medio collocetur, gratiæ & venustatis nihil habet, in extremo autem plurimum, quemadmodum Xenophon ait de Cyro, qui regulū Syennesin cum muneribus à se dimittebat: Donat ipsi, inquit, etiam munera, equum & vestem, & torquem, & agrum amplius non diripi. In his enim quod vltimum est, venustatem parit, hoc videlicet, agrum deinceps non diripi, quia munus hoc & nouum est, & proprium. Caussa autem veneris, locus est: Si namq; primo loco fuisset positum, plurimum venustatis amitteretur, si eadem sic exponantur. Munera abeunti dedit, agrum amplius non diripi, & equum, & vestem, & torquem. Iam vero cum dicendo præmisisset vsitata dona, vltimum subiecit nouum & inusitatum, è quibus omnibus venūstas collecta est. Simile sit, si cuius benignitatem prædicaueris, qui quem in litteris educauerit & opibus, auxerit: Dimissum esse onustum auro & sapientia.*

Tertius locus *est, ex replicatione. Nascuntur & venustates è figuris, ipsæque perspicuæ sunt vt plurimum apud Sapphonem. Veluti cum ex replicatione sponsa sic ad florem virginitatis: Virginitas, virginitas, quo me relicta te confers? Hæc autem interroganti eandem figura respondet: Non denuo reuertar ad te, non denuo reuertar. Magis enim venustas apparet, quàm si semel dictum fuisset, nulla adhibita figura, etsi hæc repetitio ad vehementiam magis videtur inuenta. Verum hæc poë-*

tria diuinitate quadam ingenij sui vehementißimis quibusque abutitur; etsi rectè vtitur ad pariendam venustatem.

Quartus locus *ex relatione est, è qua eadem aliquando ducit veneres, vt cum de Hespero inquit. Hespere omnia fers, fers ouem, fers capram, fers matri filium. Namque & hic venus è dictione, Fers, ad idem relata, existit. Multas autem quis à talibus veneres deprompserit.*

Quinto *nascuntur veneres è dictione, videlicet è translatione: si enim translatio è re eleganti ducta sit; nimirum elegantem faciet orationem, vt si dicas, ocellum Italiæ, lumen patriæ, florem ætatis, sexcenta alia. Hoc item de cicada: carmen ex alis argutum fudit. Catulus. Ego gymnasii flos, ego decus olei.*

Sextus locus. *Dithyrambicis & compositis inquinari orationem ante docuimus; ineptis videlicet, nec in loco adhibitis, & crebrioribus. Horum aliqua, sed tamen non nisi rarißimè vsurpata, & vbi maximè conueniat, ornamento orationi fuerint. Veruntamen eorum vsus maximè est in comœdiis & satyris. Sic apud Plautum, plagipatidæ, & plurima alia, vt in dicterio aut ioco fortasse nugiuendam, non ineptè dixeris, quemadmodum Catullus famulos herifugas.*

Locus septimus *è vulgari nomine; vt Aristoteles dixit monoten, pro eo, qui solitariam vitam ageret, pœnè abiecto vocabulo. Oratio è plebeis verbis conflata humilior est; neq; satis digna oratore: tamen eius dignitatem non atterit vnicum vocabulum à vulgo petitum, sed ornamento est, verum in loco.*

Locus octauus: *è facto siue nouo verbo, atq; à te siue inuento, siue aliter inflexo, vt qui dixit primum*

piissimus, quod tamen communis loquendi vsus postea recepit.

Nonus locus. *Multa verba ex eo, quod de aliis dicuntur, elegantia sunt. Vt quod quidam de aue, adulatricem esse & adulatoris. Hic venus nascitur, quia non vsitatum nomen attribuit aui. Sic de eo, qui tyranno seruiat, dixeris, esse mancipium, & mancipii. De opulento auaro, aureum esse, & auri. De diuite ætate confecto, ditem esse & ditis. Nec tamen nego, aliam esse horum rationem: neq; tamen non & ipsa satis elegantia sunt.*

Decimus locus, *è collatione: vt de viro præstanti Sappho cecinit, ita excelluisse, vt cæteris Alcæus. Hic enim potius elegantiam peperit oratio, quam magnitudinem, cum posse dicere, eum veluti lunam cæteris sideribus, vel solem, esse illustriorem, aut quæcunq; alia magis poëtarum essent. Sic Augustum lunæ comparat Horatius: Micat inter omnes Iulium sydus, velut inter ignes Luna minores. Epicurum suum Lucretius cum sole: Et omnes Restinxit stellas exortus, vt æthereus sol. Vterq; more poëtico, vt res non ornetur solum, sed amplificetur, qui modus minus conueniret orationi, in quo videlicet affectatio, & hyperbole. Docet autem & Aristoteles, comparationes non esse oratorum, sed poëtarum, imaginibus vero in orationibus locum esse.*

Vndecimus locus. *Est vero propriè aliqua venus Sapphica ex immutatione, si immutet quod dixerit, quasi eam dicti pœniteat. In altũ, inquit, attollite superius limen forium, sponsus ingreditur Marti æqualis, viro procero multo procerior, ac si animaduerterit, se vsum hyperbole impoßibili, neq; quemquam esse Marti æqualem. Eiusdem formæ est hoc alius scriptoris de Telemacho. In vinculis ante regiam Telemachi duo canes excubabant,*

& queam eorum nomina dicere, sed quid mihi cum istis nominibus? Nam & hic mutato consilio, interea vrbanè lusit, & reticuit canum nomina. Simile est hoc Terentij: Filium vnicum adolescentulum Habeo: ah quid dixi habere me: immo habui Chreme.

Locus duodecimus. *Etiam in versu alieno oritur venus, siue ille integer sit, siue paululum immutatus, siue aliqua eius pars. Neque hoc facetè solum fit, sed & grauiter, cum auctoritas quæritur. Sic & argumentum erit, & pondus insuper addet siue magnitudinem orationi, vt apud M. T. Non ex iure manu consertum, Apud Demosthenem illud Hesiodeum: Ingens malum vicinus malus.*

Locus decimustertius. *Habent & festiuum quiddam allegoriæ, vt si dicas in eum, qui auctore iniuriæ misso seruulum vlciscatur, canes solere tactore misso saxum dentibus petere. Sic Annibal de Fabio Maximo apud Liuium: tandem eam nubem, quæ sedisset in iugis montium, sollicitatam procella imbrem dedisse.*

Locus quartus & decimus. *Est quædam in ijs venus, quæ præter exspectationem dicuntur, cuiusmodi permulta sunt apud Aristophanem & Plautum. Talis est Cyclopis. Vt in ego extremum comedam. Nam tale munus neq; Vlysses exspectabat, neq; lector. Sic in nubibus de Socrate Aristophanes: Conspersa mensa cinere flexit obeliscum, ac deinde sumpto diabete, è palæstra vestem abstulit. Iam ex duobus locis hic orta est venus. Non enim hoc tantum præter exspectationem illatum est, verum neq; cohæret cum prioribus. Hæc autem incohærentia griphus appellatur, quemadmodum Bulias, qui apud Sophronem se pro oratore venditat, & apud Menandrum prologus Messeniæ.*

Locus

Locus decimus quintus. *Sæpe quoque similia membra pariunt venustatem, vt Aristoteles: Stagira veni propter regem magnum. Stagiris Athenas propter hiemen magnam. Cum enim vtrumq; membrum in idem nomen desierit, venus nata fuit: quod si alterutro membro præcidas dictionem. Magnum; simul & venustatem sustuleris, vt & in doctrina de periodis diximus.*

Locus Sextus decimus. *Tectæ item accusationes quandoq; similes sunt veneribus, quemadmodum apud Xenophontem: Heraclides Maronita adiens quemq; conuiuarum, quos Seuthes regulus vocauerat, & singulos hortans, vt velint Seuthen munere aliquo eleganti & eximio afficere, quo poßint. Hæc enim venustatem aliquam ostendunt, & tectæ sunt accusationes auaritiæ reguli. Confirmatur etiam hoc, quod pænè in prouerbium abiit: Auaros esse quicquid barbarorum est. Hæ igitur sunt veneres, quæ in elocutione sunt, & loci. Nunc accedimus ad res, è quibus nascuntur veneres.*

Σχόλιον. Loci venerum alii sunt in dictione, alij in re. Cum dicimus esse in re, non intelligimus ὕλην γλαφυρὰν, de qua diximus, sed eius pusillam particulam, quæ ad propositũ argumentum expoliendum aliquid facere videatur, quod vt se habeat, ex locis, qui eas res ostendunt, videre erit. τόπους χαρίτων τῶν ἐν τῇ λέξει, locos venerum, quæ in sola dictione, recensuimus, hos videlicet: ἐκ συντομίας, ἐκ τάξεως, ἐξ ἀναδιπλώσεως, ἐξ ἀναφορᾶς, ἐκ μεταφορᾶς, ἐξ ὀνόματος ἰδιωτικοῦ, ἐξ ὀνομάτων τῶν παρὰ τὴν θέσιν τὴν ἐπί τινος, ἐκ παραβολῆς, ἐκ μεταβολῆς, ἐκ στίχου ἀλλοτρίου, ἐξ ἀλληγορίας, ἐξ ἀπροσδοκήτου, ἐκ τῆς τῶν κώλων ὁμοιότητος, ἐκ κατηγορίας ἀποκεκρυμμένης. Nec

ipſi obſcuri ſunt; paucula de iis, quæ ex Græcis auctoribus adduntur, ſubiiciemus. Conciſionis exemplum eſt ἀναβάσεως III. vbi ſic Agiaſias de Apollonide. Ἐντεῦθεν ὑπολαβὼν Ἀγασίας Στυμφάλιος εἶπεν· Ἀλλὰ τούτῳ γε οὔτε τῆς Βοιωτίας προσήκει οὐδὲν, οὔτε τῆς Ἑλλάδος παντάπασιν· ἐπεὶ ἐγὼ αὐτὸν εἶδον, ὥσπερ Λυδὸν, ἀμφότερα τὰ ὦτα τετρυπημένον· καὶ εἶχεν οὕτως. Alterum conciſionis exemplum eſt conciſius, vno verbo comprehenſæ, dictum de Amazone dormiente cincta: Ζωστῆρας οὐ λύονται. Oſtenditur enim vtrumque & illam fuiſſe cinctam, & id quidem lege. Si pluribus verbis narratum fuiſſet, eſſe hoc in Amazonum inſtitutis, vt dormientes non ſoluant cingula, & hanc ita quoque ſomnum cepiſſe, periret elegantia. De ordine exemplum è I. ἀναβάσεως. Συέννεσις μὲν Κύρῳ ἔδωκε χρήματα πολλὰ εἰς τὴν στρατιάν, Κῦρος δ' ἐκείνῳ δῶρα, ἃ νομίζεται παρὰ βασιλεῦσι τίμια, ἵππον χρυσοχάλινον, καὶ στρεπτὸν χρυσοῦν, καὶ ψέλλια, καὶ ἀκινάκην χρυσοῦν, καὶ στολὴν περσικὴν, καὶ τὴν χώραν μηκέτι ἁρπάζεσθαι. Cetera erant regia & vſitata, hoc nouum & proprium huius temporis, omnium maximum. Habet igitur hæc oratio quod magnificum ſimul eſt & elegans. De replicatione exemplum Sapphus eſt: παρθενία, παρθενία, ποῖ με λιποῦσα οἴχῃ; quæ reſpondet: οὐκ ἔτι ἥξω πρὸς σέ, οὐκ ἔτι ἥξω. Ex relatione eadem eleganter cecinit: ἕσπερε πάντα φέρεις, φέρεις οἶν, φέρεις αἶγα, φέρεις μητέρι παῖδα. Sic enim lego, vt vidi olim Romæ apud Paullum Manutium, ſiue è manuſcripto libro, ſiue ex ingenio notatum. Quod enim legitur, φέρεις

οἶνον,

φίνον, ni fallor, cum sequentibus minus concinit. De translatione dubium esse non potest, quin elegantiæ plurimum conferat. Numquam enim ipsa caret elegantia, quæ proba sit, in qua habeatur scilicet non solum rei, vnde ducatur, sed ipsius quoque soni ratio. Sic formica ex alis carmen fundere dicitur: Πτερύγων δ' ὑποκακχέει λιγυρὰν ἀοιδάν. Sic apud poëtam è lingua Nestoris manat melle dulcior oratio: τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. De composito nomine Δέσποτα πλούτων μελανοπτερύγων, exemplum corruptum, aut equidem obscurum. De plebeio nomine, exemplum ex Aristotele, qui μονώτην dixit. De nouato, cum idem finxit αὐτίτης. ὅσῳ γὰρ αὐτίτης καὶ μονώτης εἰμί, φιλομυθότερος γέγονα. De eo nomine, quod cui tribuitur, cui primum, quando inueniebatur, tributum non fuit. Exemplũ est de adulatore: ita is dicitur, qui homini assentatur vtilitatis suę gratia, sed si ita psittacum nomines aut etiam canem, gratiæ aliquid sermonis accesserit: sed plus accedit, cum auis dicitur adulatrix & adulatoris. De similitudine eadem cecinit: Πέρροχος ὡς ὅτ' ἀοιδὸς ὁ Λέσβιος ἀλλοδαποῖσιν, vbi videtur Perrochum comparare cum poëta Lesbio, Alcæo videlicet, claro etiam alibi gentium. Sophron tali παραβολῇ vsus etiam fuit in hoc carmine. Θᾶσαι, ὅσα φύλλα καὶ κάρφεά τοι παῖδες τοὺς ἄνδρας βαλλίζοντι, οἷόν περ φαντὶ φαλατοὺς Τρῶας τὸν Αἴαντα τῷ πάλῳ. Vide vt pueri folia & festucas in viros conijciant, vt aiunt bonos Troianos in Aiacem coniecisse sortes. Manet tamen obscura sententia. Si cœnum inter-

interpreteris, fuerit παλῷ pro πηλῷ. De correctione: eius exempla passim exstant apud oratores; sed eiusdem fœminæ illustre est: Υψ δὴ τὸ μέλαθρον ἀέιρετε τέκτονες; γάμβρος ἐσέχεται ἶσος ἄρηϊ; ἀνδρὸς μέγαλου πολλῷ μείζων. Alterius exempli de canibus Telemachi autor silentio præteritur: Δύο κυνές δέδεατο περὶ τῆς αὐλῆς; καὶ δυνάμαι τὰ ὀνόματα εἰπεῖν τῶν κυνῶν; ἀλλὰ τί ἂν μοι βουλοίτο τὰ ὀνόματα ταῦτα; siue hæc sit nominanda præteritio, siue correctio. De versu alieno exemplum comicum est è nubibus Aristophanis: Αλλὰ τὸν αὐτοῦ γε νεὼν βάλλει, καὶ Σούνιον ἄκρον Ἀθηνῶν; quod est ἡμιστίχιον Homeri. Sic enim Nestor Δ. Γ. Ἀλλ' ὅτε Σούνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ' ἄκρον Ἀθηνῶν. Quo versu non Iupiter κωμῳδεῖσθαι, id est deludi videtur, sed Homerus, & ipse versus Homericus; hinc plus venustatis natum fuit. De allegoria, vt in Sophrone, apud quem, vt videtur, senex ad æquales ait. Hic etiam ipse ad vos, quibus capilli eiusdem coloris sunt, nauem appello, tempus nauigandi exspectans. Qui enim tot annorum sunt, his stant in alto ancoræ. Ενθάδε ὦν κἠγὼ παρ' ὔμμε σοῦ ὁμότειχας ἐξορμίζομαι, πλόον δοκάζων. τοῖς τηλίκοισδε ταὶ ἀγκύραι. Sic Pindarus ἀλληγορικῶς, bonum esse, nauem tempestuosa nocte duabus ancoris inniti, intelligens commodum esse, ciuem esse duarum vrbium in rebus aduersis. Olymp. V. ἀγαθαὶ δὲ πέλονται ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀποσκίμφθαι δύ' ἀγκύραι. Nec vero minus allegoria magnifici characteris est. De iis, quæ præter exspectationem, exemplum est munus Polyphemi, de quo antè.

antè. Quis enim tale exſpectaſſet? ſed crebra ſunt apud Ariſtophanem, vt hoc νεφέλαις; κατὰ τῆς τραπέζης καταπάσας λεπτὴν τέφραν, Κάμψας ὀβελίσκον; εἶτα διαβήτην λαβὼν ἐκ τῆς παλαίστρας θοἰμάτιον ὑφείλετο. διαβήτης circinus eſt; exſpectabatur igitur circulus: ille aliud refert, ſed ad riſum. De membris paribus etiam antè dictum fuit: quæ vt venuſta ſunt, ita perpetua eſſe non oportet. Nam & in varietate venuſtas. De tecta accuſatione hiſtoria extat apud Xenophontem, ἀναβάσεως libro VII. Nec ſolum Maronita docet vnumquemque de rege munerando, ſed Gneſipus etiam Athenienſis monet Xenophontem, ὅτι ἀρχαῖος εἴη νόμος κάλλιστος, τοὺς μὲν ἔχοντας διδόναι τῷ βασιλεῖ τιμῆς ἕνεκα; τοῖς δὲ μὴ ἔχουσι διδόναι τὸν βασιλέα· ἵνα κἀγὼ, ἔφη, σοι ἔχω δωρεῖσθαι, καὶ τιμᾶν. Ibi Xenophon, vt qui regis aſſideret in ſella proxima, animi dubius, conſilium inuenit, dixitque παρὰ προσδοκίαν. Neque enim vel hoc munus exſpectabatur. Ἐγὼ δέ σοι, ὦ Σεύθη, δίδωμι ἐμαυτὸν, καὶ τοὺς ἐμοὺς ἑταίρους φίλους εἶναι πιστούς.

CAP. XLVII.

Quinque loci, vnde ducuntur Veneres, quæ in rebus ipſis ſunt.

PRIMVM è prouerbiis. *Suapte enim natura venuſtum & elegans eſt prouerbiũ vt alicubi Sophron: Ex vngue leonem pinxit: Torynam edolauit: Cuminum ſeuit. Etenim duobus prouerbiis aut tribus ordine coaceruatis vtitur, vt quamplurimæ naſcantur veneres*

quæ

quæ res est ac si palæ vnius eiusdemque annuli plures gemmas incluseris. Ita autem crebra apud Sophronem sunt prouerbia, vt penè ad vnum omnia ex ipsius fabulis seligas.

Secundo. *Fabula in tempore vsurpata venusta est, siue illa vetus sit, siue recens. Vetus, vt Aristoteles de aquila: Aquilam fame mori incuruato rostro. Ita enim plecti, quod homo cum esset iniuria hospitem affecisset. Philosophus inuenta iam & communi fabula est vsus. Multas etiam præterea excogitamus, quæ vsui nobis sint, accommodatæq; rebus. Quemadmodum quis de fele, qui diceret, eam simul cum luna pinguescere & macescere; affinxit, hinc fabulam esse natam, quod luna felem enixa sit.* Non enim tantum ex ipso figmento est *venus, sed etiam fabula aliquid venustum præ se fert, quæ felem facit lunæ filiam.* Cum *autem fabularum non Æsopicarum, sed etiam aliarum satis sit, tum non est difficile homini litterato, neque prorsus naturæ rerum rudi, alias inuenire rei conuenientes, quam explicandam susceperit.*

Tertius locus. *Sæpe etiam ex immutato metu venus nascitur, si quis sine causa timuerit, veluti cingulum vt serpentem, furnum vt hiatum terræ: sed tamen ipsa magis comica sunt, quàm oratoria.* Exemplum *huius rei luculentum est in ep. M. Tullij ad Q. fratrem: Marium autem nostrum, inquit, in lecticam me hercule coniecissem; non illam regis Ptolemæi Asitianam. Memini enim cum hominem portarem ad Baias Neapoli, octophoro Asitiano, machærophoris centum sequentibus, miros risus nos edere, cum ille ignarus sui comitatus, repentè aperuit lecticam, & penè ille timore, ego risu corruit.*

Quartus

Quartus locus. *Etiam imagines, quarum & prius mentionem fecimus, perquam venustæ sunt. Vt si gallum Medo similem dicas, quia cristam rectam fert, regi autem, quia purpureus est, aut quia canente gallo subsilimus, quemadmodum & rege clamante surgimus & metuimus.*

Quintus locus. *Ex hyperbolis veneres maximè oriuntur, quæ frequentantur in comœdiis. Non enim omnes hyperbolæ frigus, neque vbique efficiunt. Oblectat enim & ridetur, cum id quod fieri non potest, affirmatur. Esse autem impoßibiles hyperbolas, antea dictum fuit. Aristophanes de ingluuie Persarum inquit: Assabant boues in furno pro panibus. Alter autem de Thracibus: regem Medocen integrum bouem gestasse in malis. Huius formæ esse antè quoq; dictum est: magis sanus cucurbita: magis caluus serenitate. Et illa Sapphonis: pactide multò suauior, auro magis aurea. Omnes enim huiuscemodi veneres ex hyperbolis profectæ sunt, etsi discrepant inter se, quòd alia venusta sint, alia ridicula. Neq; enim idem est ridiculum & venustum, sed pluribus inter se rebus differunt. Primùm materia. Venerum enim materiæ sunt, quas antè ostendimus, quæ non ridentur, sed alioquin in animis hilaritatem commouent. Risus autem materia: Irus & Thersites: item ille Sambaulæ amicus apud Xenophontem, supra modum hirsutus & turpis. Tantum igitur inter ipsa discrimen erit, quantum inter Thersitem & Cupidinem. Secundo differunt ipsa quoque dictione. Venustum enim cum ornatu effertur, & explicatur nominibus pulchris & splendidis, quæ imprimis veneres pariunt, vt in his admodum similibus locis Lucretij & Virgilij, in quibus hic cum illo certasse de laude ingenij videtur. Sic Lucretius initio libri II.*

Si non aurea sunt iuuenum simulacra per ædes,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis vt suppeditentur:
Nec domus argento fulget auroq; renidet,
Nec citharis reboant laqueata aurataq; templa;
Attamen inter se prostrati in gramine molli.
Propter aquæ riuum, sub ramis arboris altæ.
Non magnis opibus iucundè corpora curant.
Præsertim cum tempestas arridet, & anni
Tempora conspergunt viridantes floribus herbas.

Sic autem Virgilius lib. II. Georgicon.

Sic non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totus vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulchra testudine postes,
Illusasq; auro vestes, Ephyreiaq; æra:
Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
Nec casia liquidi corrumpitur vsus oliui:
At secura quies, & nescia fallere vita;
Diues opum variarum, & lætis otia fundis,
Speluncæ, viniq; lacus, & frigida tempe,
Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni.
Non absunt: illic saltus ac lustra ferarum,
Et patiens operum paruoq; assueta iuuentus.

Similis est locus in culice Virgiliano.

Si non Assyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera: si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit auarum:
Picturæq; decus, lapidum nec fulgor in vlla

Cognitus

Cognitus vtilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referent, Bætiq́ꝫ toreuma: nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Sæpe super tenero prosternit gramine corpus:
Florida cum tellus geminanteis picta per herbas,
Vere notat dulci distincta coloribus arua.

His nihil per se pulchrus, nec quicquam fieri potest ornatius: atque equidem venustißimus illis rebus debetur elegantia. Ridiculum autem est nominum humilium & communiorum. Quod si quis ridiculo illinere colorem velit; is ornatu affectato deleat idipsum, & pro ridiculo miraculum efficiat. Veneres sanè sunt cum modestia, verùm ridicula verbis expolire, est exornare simiam, quod alienum esse minimeq́ꝫ conuenire docemur prouerbio Simia semper est simia, etiãsi aurea habeat monilia. Quare etiam Sappho, cùm de forma canit, elegantibus verbis vtitur, & tota suauis est, item de Cupidinibus & aëre, & Halcyone: ibi eius poësi intextum est quicquid est elegantium nominum, quorum ipsa quædam fabricata fuit. Aliter vero illudit agrestem sponsum & ianitorem in nuptiis, quàm humillimè, & pedestribus potius nominibus, quàm poëticis. Quare hæc ipsius poëmata rectius in sermonibus recenseri poßint, quàm cani: neqꝫ vllo pacto quadrent ipsa choro, aut lyræ, nisi in choro alterni canant. Tertia differentia est ex voluntate siue consilio. Non enim similia vult, siue in animũ inducit, qui veneres captat, & qui risum concitat, sed ille vt oblectet, hic vt rideatur. Quarta differentia à fine siue à consequentibus: risus enim comitatur risum mouentibus, laus venustis. Vltimò differunt ratione loci: non enim vbiqꝫ conueniunt. Nam artes risus & venerum in satyra & in comœdia locum habent, sed non ambo in tragœdia. Hæc enim veneres in

multis quoq; locis admittit, verum risus inimicus est tragœdiæ. Nec enim quis cogitare possit tragœdiam ludentem, vt neq; glaciem calidam: siquidem qui hoc egerit, non iam ipse tragœdiam sed satyram scribet pro tragœdia. Neq; tamen nullus vsus est ridiculorum. Ridiculis enim etiam prudentes vtuntur quibusdam temporibus, vt festis diebus & in conuiuiis, item in increpationibus aduersus delicatiores, vt saccus nitidus, quem sermonem scripsit Æschines Socraticus, quo fortassis cuiusdam hominis ingluuies carperetur, cui venter abdomine distentus esset: item Cratetis poëtica, & lentis laudatio, quam quis apud luxuriosos legeret. Eiusmodi vt plurimum ratio est Cynica. Talia enim ridicula, fiunt veluti vitæ præcepta, siue sententiæ. Hoc enim agebat eorum princeps Diogenes, vt cum neminem non carperet, ad vitam ea ratione noua, & tum ingrata, tum ridicula alios erudiret. Nec ridiculorum hæc contemnenda est vtilitas, quod hominum mores detegunt, & aperte ostendunt, sintne apti salibus, an petulantes, an agrestes: vt qui vinnum effusum cohibuit, dixit Pelea esse, non Oenea, ridiculo excitato ex nominibus heroum, quorum hoc ad vinum, illud ad cœnum significatione vergere videtur. Hæc enim nominum oppositio, quamuis accuratius ab auctore quæsita, nullum ingenij acumen, sed mores frigidos, & animum disciplina non excultum indicat. Porro de dictis, quæ scommata dicuntur: ea sunt imaginibus similia: vt quod iactatum fuit in Zenonem Cittieum: clematis Ægyptia: quoniam longus erat & niger. Item hoc de fatuo: ouis marina: iccirco, vt suspicor, quod cum alioquin pecus amens sit ouis, tum nihil amentius, si pastura, non in pascua se recipiat, sed in mare immergat. Ita Diogenes hominem prædiuitem, sed eundem litterarum rudem,

dem, ouem appellauit aureo vellere. Huiuſcemodi vti licebit: ſin alius generis ſint, fugiemus ipſa, vt conuicia: quod eſt iniuriarum: à quibus ſe boni in vniuerſum abſtinent, & eas propulſat vnuſquiſque honoris ſui non negligens.

Σχόλιον. Veneres in rebus ſunt ex hiſce quinque locis, ἐκ παροιμίας, ἐκ μύθου, ἐκ φόβου ἀλλασσομένου, ἐξ εἰκασίας, ἐξ ὑπερβολῆς. Prouerbii autem vſus eſt, vt condimenti: crebris ſine reprehenſione vti potuit Sophron: nec hoc tamen liceat oratori. Quæ autem hic referuntur: ἐκ τοῦ ὄνυχος τὸν λέοντα ἔγραψεν, τορύναν ἔξεσεν, κύμινον ἔπρισεν, eodem minimè ſpectant, ni fallor. Namque ex vngue leonem pingere, eſt ex minimo ſigno de toto negotio iudicium facere. Finxiſſe leonem inſpecto tantum vngue Phidiam memoriæ proditum eſt. Plutarchus ἐν τῷ περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, hoc prouerbio vtitur, non longè à principio libri, vti accepto ab Alcæo. θαυμασάντων δὲ τῶν παρόντων, inquit, τὸ δὲ Δημητρίου ὡς γέλοιον φαντὸς εἶναι, ἀπὸ μικρῶν πραγμάτων οὕτω μεγάλα θηρᾶν, οὐ κατ' Ἀλκαῖον ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα γράφοντας, ἀλλὰ θρυαλλίδι καὶ λύχνῳ τὸν οὐρανὸν καὶ τὰ σύμπαντα μεθιστάντας. Sed piſtillum dolare, fortè eſt magnum ſtudium ponere in re puſilla. Τορύνα enim τετπλὴρ, τὸ κινητήριον τῆς χύτρας, apud Suidam, & ſcholiaſten Ariſtophanis. Hic enim in Auibus:

Οὗτός γ' ἄτ' οἶμαι πρότερον ἄνθρωπός ποτ' ὤν;
τότε μὲν ἐρᾷ φαγεῖν ἀφύας φαληρικὰς,
τρέχω ἐπ' ἀφύας ἐγὼ, λαβὼν τὸ τρύβλιον.
ἔτνους δ' ἐπιθυμεῖ, δεῖ τορύνης καὶ χύτρας,

τρέχω ἐπὶ τορυνάν. Fabas desiderat: pistillo opus est & olla: curro, vt pistillum feram. Prouerbii instar est hoc Platonis, apud quem Hippia Maiore ita Socrates: πότερον πρέπει, ὅταν τις τὴν χύτραν τὴν καλὴν ἕψῃ ἔτνους καλοῦ μεστήν, χρυσῆ τορύνη αὐτῇ ἢ συκίνη; Denique cuminum serere, sorte laboris aliquid impendere, in quam rem nō erat operæ precium, vel inuitum quid agere, siquidem cum diris seminasse cuminum, superstitione quadam, accepimus. Quod de prouerbiorū, id de fabularū vsu perinde se habet. In tempore enim depromptæ & orationem faciunt elegantiorem, & sunt pro probationibus. Est enim παραδειγμάτων species. Nec vna igitur est, nec parua fabularum vtilitas. De iis sic quoq; Tullius in partitionibus. Fabula etiam nonnunquam etsi incredibilis, tamen homines commouet. Theon sophista in ea re multus est: sic autem definit. μῦθός ἐστι λόγος ψευδὴς, εἰκονίζων ἀλήθειαν: sed iis, inquit, agitur, οἷς μετὰ τὴν ἔκθεσιν ἐπιλέγομεν τὸν λόγον, quę tamen doctrina intelligitur sæpe, ne monente quidem oratore. Non desunt exempla nobilium fabularum, qualis Stesichori ad Himerenses, de equo frænum accipiente & sessorem, Æsopi ad Samios de ricinis, Dionis Chrysostomi, quæ inscribitur Libyca. Fabulam de aquila Aristoteles attingit libro IX. περὶ ἱστορίας ζώων, his verbis. γηρασκουσι δὲ τοῖς ἀετοῖς τὸ ῥύγχος αὐξάνεται τὸ ἄνω, γαμψούμενον αἰεὶ μᾶλλον, καὶ τέλος λιμῷ ἀποθνήσκουσιν; ἐπιλέγεται δέ τις καὶ μῦθος, ὡς τοῦτο πάσχει, διότι ἄνθρωπός ποτ' ὢν, ἠδίκησε ξένον. Secundus locus ἐκ φόβου ἀλλασσομένου ex-

emplis

emplis ſuis clarus eſt. Απὸ εἰκασίας exemplum ex Auibus Ariſtophanis, vbi nugatur gallum regem fuiſſe maximum: Αὐτίκα δ' ὑμῖν παρέχω τ' ἐπιδείξω τὸν ἀλεκτρυόν' ὡς ἐτυράννει. Ἤρχετο Περσῶν πρότερον πάντων, Δαρείου καὶ Μεγαβύζου; Ὥστε καλεῖται Περσικὸς ὄρνις ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἔτ' ἐκείνης. ΕΠ. Διὰ ταῦτ' ἄρ' ἔχων καὶ νῦν, ὥσπερ βασιλεὺς ὁ μέγας διαβάσκει, Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν κυρβασίαν, τῶν ὀρνίθων μόνος, ὀρθήν. Interpres è Clitarcho refert, ſolos reges geſtaſſe tiaram erectam, ceteris non licuiſſe, ſed ἐπτυγμένην καὶ προβάλλουσαν εἰς τὸ μέτωπον. De hyperbolis antè diximus. Locum habent in ſermone familiari, in poëtis, ſed maximè in comœdiis. Ariſtophanes βατράχοις ait: βοῦν ἀπηνθράκιζ' ὅλον. Idem Ακαρνεῦσι. παρετίθει δ' ἡμῖν ὅλους ἐκ κριβάνου βοῦς. Vt magis oſtenderet & ob oculos poneret barbarum morem, de quo antè dixerat. Οἱ βάρβαροι γὰρ ἄνδρας ἡγοῦνται μόνους, τοὺς πλεῖστα δυναμένους καταφαγεῖν τε καὶ πιεῖν. Ex alio citatur: ὅτι Μηδόκης ὁ βασιλεὺς βοῦν ἔφερεν ὅλον ἐν γνάθῳ. Simile: ὑγιέστερος κολοκύντης, ſanior cucurbita, quo vſus fuit Epicharmus hoc verſu: Ὑγιέστερόν τ' ἦν ἔτι κολοκύντας πολύ, qui extat apud Athenæum δειπνοσοφ. Β. Ceterum diſcrimina ridiculi & venuſti explicata ſunt ſatis plenè. Differunt ὕλῃ, λέξει, προαιρέσει, τοῖς ἐπακολουθοῦσι, τόποις. De Therſite multa Α. Β. in iis, Αλλ' ὅτι οἱ εἴσαιτο γελοίιον Αργείοισιν Εμμεναι. De Iro Δ. Ξ. Sambaulas eſt apud Xenophontem I I. κύρου παιδείας, ὑπέρδασυς καὶ ὑπέραισχρος. Definitur ridiculum, ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον, καὶ οὐ φθαρτικόν. Exempla venuſtarum rerum venuſta oratione ex-

præſſarum: ποικίλλεται μὲν γαῖα πολυστέφανος, & de quo ſupra, χλωρηὶς ἀηδών. Prouerbium de ſimia ſic habet: Πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχῃ σύμβολα. Quem interpretati ſumus nitidum ſaccum, eſt τηλαυγὴς θύλακος: forte libri inſcriptio, quo quis ventres inſectaretur. De Cynica ratione erudent nos plurima Diogenis apophthegmata, quæ petere licet è Laërtio: & multa paſſim legũtur apud veteres ſcriptores: ſic eiuſdem facta, vt cum ipſo meridie accenſa lucerna in medium forum prodiit: quãdo hoc addidit, ſe homines quærere. Quis tum Diogenem non riſit? quem tamẽ ille non erudiit, in quo aliquid mentis eſſet? Vna etiam refertur ex vtilitatibus, quæ capiuntur è ridiculis, quod produnt cuiuſque ingenium. Qui vappam dixit Pelea, vinum Oenea ἀγροικίαν ſiue ἀναγωγίαν ſuam detexit. Victorius de indicio Michaëlis Sophiani correxit hunc locum. Erat homo Græcus ille Sophianus, quem ipſe non vidi, ſed cum viuerem Bononię, viuebat Pataui, ni fallor, doctis viris ob probitatem, & reconditas litteras, (totus enim erat in philoſophia) cariſſimus, familiaris etiam Ioachimo Camerario doctiſſimo tum iuueni, magni illius Ioachimi filio. Cũ incurabili morbo multos annos conflictatus, non ſine incommodo litterarum diem ſuum obiit. Latinè interpretatus fuit libros Ariſtotelis de anima. Oſtenderat autem hæc in Euſtathio, quæ in Λ. I. refert. ἡ δὲ τοιαύτη κατ' οἶνον ἔννοια περὶ τοῦ ἥρωος Οἰνέως, ἔφηνε τὸν λόγον ἀστεῖον ἐπὶ καπήλῳ οἶνον παρέχοντι, ὡς τὴν τρυγίαν συναπεμπολᾶν. ἤκουσε γὰρ πόθεν εὐτρα-

πέλως τὸ, μὴ ποίει τὸν Οἰνέα Πηλέα, τουτέστι μὴ τὸν τρυγίαν κυκῶν, καὶ τῷ κρητῆρι παραμιγνὺς, μετάβαλλε τὸν οἶνον ὡς εἰς πηλὸν, ᾧ δοκεῖ παρωνομάσθαι παιγνημόνως ὁ Πηλεύς. Nec attinet, quàm grammaticus hoc vrbanè dictum iudicet: nos stabimus iudicio Phalerei, & politorum hominum.

CAP. XLVIII.

De nominibus elegantibus & venustis.

DIXIMVS *paullò antè in differentiis venusti & ridiculi, venusta elegantibus nominibus exponenda esse: atq; equidem, quæ dicuntur elegantia & pulchra nomina efficiunt genus orationis elegans. Ea sic definit Theophrastus: Pulchritudo nominis in eo est, si hoc ipsum auribus oculisue iucundum sit, aut sententia honestum. Aristoteles ait: pulchra esse voce, aut vi, aut visu, aut alioquin ex sensibus. In hoc igitur auditori cum magistro prorsus conuenit. Ad aspectum sunt iucunda eiusmodi: floriferi saltus, mellificæ apes, auricomus sol; item:*

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc florent syluæ, nunc formosissimus annus.

Quæ enim libenter videmus, eadem oratione quoq; explicata pulchriora sunt. Ad auditũ vero; allata, Callistratus, Anna. Nam collisio duorum LL. sonorum quiddam habet; itemq; duorũ NN. & suauiter aures afficit; prorsusq; Attici literam N. quibusdam in locis dedita opera ob soni suauitatẽ adsciscunt. Sunt eiusdẽ litteræ perquam studiosi etiam Germani, quæ scilicet asperitatem consonantium concurrentium vel molliat vel tegat. Est enim hoc vnum quoq; ex præceptis magistrorum dicendi, vt insuauis soni dictiones in ceteris occultẽtur, & cooperiantur

 melio-

melioribus, ne horrida fiat oratio, cuius artificem fuisse Homerum probat Dionysius Halicarnasseus, politus inprimis scriptor & scriptorum censor acerrimus. Deniq; propter sententiam hæc plena dignitatis sunt, vt senem potius dicamus, quam decrepitum: senes enim pleniores sunt honoris. Ita potius matronam, quàm anum aut mulierem. Ceterum musici quando sonos dictionum examinant, eos distingunt accuratius: apud ipsos enim aliud nomen leue, aliud asperum dicitur, aliud compactum, aliud tumidum. Læue, quod ex omnibus (si tamen in vnam dictionem omnes coëunt (pluribusue vocalibus conflatum est, vt Æea de Circe, Eoæ pro matutinis. Asperum, vt fragor, horror: atq; hoc ipsum asperum nomen imitatione sui siue rei, quam repræsentat, elatum est. Compactum est anceps & mistum æqualiter litteris, conflatum videlicet non ex paucioribus vocalibus, quàm consonantibus, vt, bonitati. Tumidum est in tribus, latitudine, longitudine, fictione, vt bronta pro bronte, quod habet asperitatem à priore & posteriore syllaba, longitudinem propter productam, latitudinem propter Doricam consuetudinem. Quare, cum aliquos notabant, Dorico sermone minimè vtebantur, sed amarè atticissabant: habet enim Attica lingua rotundum quiddam & populare. Sed hæc præter institutum. E dictis autem nominibus leuia solum sumenda sunt, quæ scilicet elegans quiddam habent: tamen ab his secunda putentur quæ compacta nominauimus.

Σχόλιον. Ad elegans genus orationis faciunt & elegantia nomina. Elegantiam nominis sic definit Theophrastus. Κάλλος ὀνόματός ἐστι τὸ πρὸς τὴν ἀκοὴν, ἢ πρὸς τὴν ὄψιν ἡδὺ, ἢ τὸ τῇ διανοίᾳ ἔντιμον. Aristoteles rhetoricorum III. in eandem sen-

tentiam

tentiam ait eſſe καλὰ, ἢ τῇ φωνῇ, ἢ τῇ δυνάμει, ἢ τῇ ὄψει, ἢ ἄλλῃ τινὶ αἰσθήσει. Itaque inter ipſa pulchra diſcrimen eſt, quid alia alijs pulchriora. Multum intereſt, ſi dicatur: ῥοδοδάκτυλος ἠώς: hoc enim pulchrius, quàm ſi φοινικοδάκτυλος. Hoc deterius ἐρυθροδάκτυλος. Plenius de eleganti dictione præcipit Dionyſius ἐν τῷ περὶ συνθέσεως ὀνομάτων. πολλὴ, inquit, ἀνάγκη, καλὴν μὲν εἶναι λέξιν, ἐν ᾗ καλά ἐστιν ὀνόματα, καλῶν δὲ ὀνομάτων συλλαβαί τε καὶ γράμματα καλὰ αἴτια εἶναι, ἡδεῖαν τε διάλεκτον ἐκ τῶν ἡδυνόντων τὴν ἀκοὴν γίνεσθαι. Quod ad litteras non ſolum pulchriores affectare in hoc charactere oportet, ſed eleganter quoq; pronunciare. ἡδύνει τὸ λάμβδα, inquit idem, καί ἐστι τῶν ἡμιφώνων γλυκύτατον. Medium ſonum habent Μῦ & Νῦ. Quin tamen Attici littera Νῦ atque item Ταῦ delectati fuerint, fugerintque τὸ Σίγμα, nemo dubitat. Νῦ enim adſciſcebant, multis in locis, cum dicerent, Δημοσθένην, Σωκράτην, ὄρνισιν, ἔτυπτεν, τήμερον, γλῶττα, non autem σήμερον, γλῶσσα. Quo iniquiores ſunt, qui exempla potius aliorum, quàm ratione ſecuti, Saxonicam Germanorum dialectum deſpiciunt. De Σῖγμα autem audiamus eundem. Ἄχαρι δὲ καὶ ἀηδὲς τὸ Σ., καὶ εἰ πλεονάσειε, σφόδρα λυπεῖ. θηριώδους γὰρ, καὶ ἀλόγου μᾶλλον, ἢ λογικῆς ἐφάπτεσθαι δοκεῖ φωνῆς ὁ συριγμός. τῶν γοῦν παλαιῶν σπανίως ἐχρῶντό τινες αὐτῷ, καὶ πεφυλαγμένως. εἰσὶ δὲ, οἳ ἀσίγμους ᾠδὰς ὅλας ἐποίουν. Itaque Pindarus etiam Σὰν κίβδηλον appellauit. Diſtinctio à muſicis ſumpta non planè eſt contemnenda, quibus aliud nomen λεῖον, vt αἴας, aliud τραχὺ, vt βέβρωκε, aliud

εὐπαγὲς erat. Leue è vocalibus & diphtongis, asperum potiſſimum ἐκ τοῦ Ρῶ. Τραχὺ γὰρ, vt ἐῤῥίγησεν, ἄψοῤῥον, ἔῤῥε: item, ὠμὸν βεβρῶθοις πρίαμον, Α. Δ. Compactum vt ὀνομάτων. Ex compactis & leuibus, vt, μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληιάδεω Ἀχιλῆος. Tumidum exemplum βροντὰ, δωρικῶς. οἱ γὰρ δωριεῖς πλατέα λαλοῦσιν. Itaque hac dialecto vſi fuerunt bucolici carminis ſcriptores: comici vero habent ζυνεστραμμένον, ſiue στρογγύλον quiddam, ideſt rotundum atq; breue, non dilatatum, & δημοτικὸν, populare, ſiue auribus populi gratum, & quicquid præterea ad ſales aut lepores requiri videatur, nec tantum ad honeſtas εὐτραπελίας, ſed etiam ad βωμολοχίας, σκώμματα καὶ λοιδορίας, quæ erant familiariſſima primæ veteri comœdiæ.

CAP. XLIX.

De compoſitione eleganti.

TERTIVM *eſt de compoſitione, quæ & ipſa parit elegantiam. Eſt autem nequaquam facile de modo huiuſcemodi diſputare. Nemo enim ante nos quicquã de eleganti compoſitione tradidit. Tamen pro viribus conãdum eſt, vt hæc quoq; perſequamur. Fortaſſe autẽ generabitur aliqua voluptas & venus, ſi non inſulsè (hoc enim ſummopere cauendum eſſe, accuratè antè monuimus) ſed ſingulari arte poëticam compoſitionẽ æmulabimur: id eſt, ſi coaptemus compoſitionẽ è verſibus ſiue integris ſiue dimidiatis: neq; ita tamen, vt in connexione orationis verſus ipſi appareãt, ſed ſi quis queq; ſeparet atq; diſtinguat, tunc nos ipſi deprehendamus verſus eſſe, facileq; numeros* agno-

agnoſcamus. Verũ de numeris & pedibus initio nonnihil diximus, & forte quod ſatis ſit ad hanc rem. Sic ſi verſus ſpeciem habeat, eandem pariet venerem. Ita autem ex huiuſmodi voluptate irrepit venuſtas, vt minimè deprehendatur. Sunt autem huiuſce formæ plurimæ apud peripateticos, & apud Platonem, & Xenophontem, & Herodotum, fortè & paßim apud Demoſthenem. Verum Thucydides prorſus hanc formam fugit. Nobis exemplo ſit hoc ex Tullij Catone Maiore. Quæ plæriſq; ſenibus ſic odioſa eſt, vt onus ſe Ætna grauius dicant ſuſtinere. Hic locus ſi accuratè conſideretur, vel è verſibus pæne compoſitus eſt, vel certè formam verſuum atque numeros habet: id erudito facile eſt animaduertere. Elumbis erit, & veneris amittet aliquid, ſi hanc dictionum connexionem turbes. Plato ſanè multis in locis ipſo numero nonnihil extenſo elegans eſt, neque videlicet habente ſeßionem, neque longitudinem. Horum enim illud exile eſt & acre, longitudo autem magnificum. Sed veluti lubricæ rei ſimilia ſunt membra, ac neque prorſus verſibus, neque orationi carenti omnibus numeris. Exempla Platonis obuia ſunt.

Σχόλιον. In compoſitione eleganti non parum profecerit, qui confragoſam vitauerit, nec magnificam affectet, & neglectam fugiat. εὔφωνα βούλεται πάντα ὀνόματα, καὶ λεῖα, καὶ μάλακα, καὶ παρθενωπά; τραχείαις δὲ συλλαβαῖς, καὶ ἀντιτύποις ἀπέχθεταί που: τὸ δὲ θρασὺ πᾶν καὶ παρακεκινδυνευμένον, καὶ δι' εὐλαβείας ἔχει. Halicarnaſſeus. Non ſolum nomina nominibus aptiſſimè connecti oportet, ſed etiam membra membris, omniaque concludi ambitu: membra eſſe nec breuia nimis, nec nimis longa, ſed modica: ſic ipſos ambitus, quæ

plenus

plenus dicentis ſpiritus ſine moleſtia terminet. Sint inprimis numeri non neglecti, & crebri, & venuſti. Quemadmodum rectè ſit μετροειδὴς ἡ σύνθεσις, ſatis explicauimus, quando quæ in hac re maximè fugienda eſſent oſtendimus. Qui autem à vitiis longiſſimè abit, ad virtutem accedit proximè, & eam in omni re facilius deinceps poteſt aſſequi. γλαφυρώτατα ſua monumenta compoſuiſſe accepimus, Heſiodum, Sapphonem, Anacreontem, Simonidem, Euripidem, Ephorum, Theopompum, Iſocratem: nec ego de Theophraſto dubito. Iſocrates in manibus eſt, itemque Euripides & Heſiodus; quædam Anacreontis, fragmenta paucula Simonidis & Sapphonis. Huius oda, ſed mendoſa admodum pro exemplo politiſſimæ compoſitionis ab Halicarnaſſeo ponitur. Eam lubet ſubiicere, vt ab Henrico Stephano in fragmentis lyricorum poëtarum multo emendatior deinceps fuit edita.

Ποικιλόθρον', ἀθάνατ' ἀφροδίτα,
παῖ διὸς δολοπλόκε, λίσσομαί σε,
μή μ' ἄταισι, μηδ' ἀνίαισι δάμνα
πότνια, θυμόν:
Ἀλλὰ τῇ δ' ἔλθ' αἴποτε κατ' ἔρωτα,
τᾶς ἐμᾶς αὐδᾶς ἀΐοις, ἇς πολλάκι
ἔκλυες, πατρὸς δὲ δόμον λιποῖσα
χρύσεον ἦλθες,
Ἁρμ' ὑποζεύξασα, καλοὶ δέ σ' ἆγον
ὠκέες στρουθοὶ, πτέρυγας μελαίνας
πυκνὰ δινέοντες ἀπ' ὠρανῶ αἰθέρος διὰ μέσσω:

Αἶψα δ' ἐξίκοντο. τὺ δ' ὦ μάκαιρα
μειδιάσαισ' ἀθανάτῳ προσώπῳ
ἤρε', ὅττι δ' ἦν τὸ πεπόνθα, κ' ὅττι
δεῦρο καλοῖμι:
Κ' ὅττι γ' ἐμῷ μάλιστ' ἐθέλω γένεσθαι
μαινόλᾳ θυμῷ, τίνα δ' αὖ τε πειθὼ,
καὶ σαγηνεύσαν φιλότητα. τίς σ' ὦ
σαπφοῖ ἀδικεῖ;
Καὶ γὰρ αἰ φεύγει, ταχέως διώξει:
αἰ δὲ δῶρα μὴ δέχετ', ἀλλὰ δώσει
αἰ δὲ μὴ φιλεῖ, ταχέως φιλήσει,
κ' ὅττι κελεύης.
Ελθέ μοι καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον
ἐκ μεριμνᾶν. ὅσσα δέ μοι τελέσσαι
θυμὸς ἱμείρει, τέλεσον: σὺ δ' αὐτὰ
σύμμαχος ἔσσο.

Locum priorem Platonis è III. de rep. ſupra in ſcholio integrum poſuimus: poſterior priore loco ex eodem libro hic eſt. Λύρα δέ σοι (ἦν δ' ἐγὼ) καὶ κιθάρα λείπεται, καὶ κατὰ πόλιν χρήσιμα, καὶ αὖ κατ' ἀγροὺς τοῖς νομεῦσι σύριγξ ἄν τις εἴη.

CAP. L.

De κακοζηλίᾳ ſeu malè affectata elegantia.

CÆTERVM *ſicut magnificæ notæ propinqua erat frigida, ita & eleganti propinqua eſt quædam vitioſa, longeq́ à vera elegantia aberrans. Eam communi nomine cacozelon nominant, in qua apparet peruerſum affectatæ elegantiæ ſtudium. Naſcitur vero & ipſa in tribus. Primum in ſententia: quemadmodum qui dixit Centaurus ſeipſum equitans. Item, cum quiſpiam Alexandrum*

xandrum hortaretur ad certamen Olympicum currendum; ita inquit: Alexander curre matris nomen. Deinde in nominibus sic gigneretur: vt ridebat rosa suauicolor. Vbi translatio verbi præter decorum sumpta est, & compositum illud in carmine non poneret bene sanus aliquis, aut quemadmodum alius dixit: subsistulabat pinus auris. Compositio deniq; vitiosa est anapæstica, & maximè fractis & sine vlla dignitate versibus, qualia potissimum sunt Sotadea, quia sunt meliora. Si ex Homerico versu Sotadeum facias, erit veluti in aliam mutatus formam, quemadmodum fabularum auctores, mares mutatos in feminas nugantur, vt Cæneum, aut si incessum masculum in muliebrem mutes. Ita explicata sit hæc nota, eleganti vicina, sed opposita tamen, dicta praua imitatio.

Σχόλιον. Reliquum fuit, vt character etiam eleganti contrarius ostenderetur. Is dicitur κακόζηλος. Facile intelligitur esse fuco illitam formam, quam forte imperitus laudet, & qui sibi peritus videatur sæpe non statim deprehendat, sed considerata paullo accuratius ipsa sit turpitudo, si sententiam, dictionem, & compositionē spectes. Primum, vt vbi natiua forma non est, id auro, gemmis, veste frustra ornes, ita inepta sententia omnibus orationis luminibus picta nihilo erit pulchrior. Quod si quæ tractes, habeas per se elegantia, tamen verbis expolienda erunt. Deformari enim possunt non turpibus solum & alienis, sed affectatis etiam & speciem pulchri ostentantibus, vt aliquis scripsit: ἐγέλα που ῥόδον ἡδύχροον. Nam nec trāslatio laudata est, neq; iuncta dictio. Item alius; ὅτι δέ γε παῖς ὑπε-

σύειζε πιτὺς αὔραις. Compoſitio deformis quæ ſit è ſuperioribus intelligitur. Etiam quæ apud poëtas pulcherrima eſt, vt ipſius Virgilij, quoniam poëtica, nihil ornatus ad orationem ſolutam adferet, ſed anapæſtica, vt fracta & mollis, longiſſimè remouenda eſt. Talia ſunt Sotadea, non magni videlicet precij: ſed heroica ſemper magnificentiam & pulchritudinem in ipſa compoſitione habent. Valere autem non parũ vel compoſitionem patet ex hoc verſu Homerico, non niſi leuiter traiecto: Σείων μελίην πηλιάδα δέξιον καθ' ὦμον. Aliter poëta: Σείων πηλιάδα μελίην κατ' δέξιον ὦμον. Hoc vt probaret Halicarnaſſeus, quibuſdam poëtæ verſibus aliam atque aliam quaſi numerorum veſtem induit, vt neque ita pulchri videantur eſſe, & reuera natiuæ pulchritudinis non parum amiſerint. Quam hoc loco κακοζηλίαν velimus, liquet; alii autem etiam alia κακόζηλα nominant.

CAP. LI.

De tenui charactere & eius materia.

DICEMVS *de tertia nota, de tenui videlicet, ſequentes methodum initio inſtitutam.* Primum *igitur haberemus fortaſſe res puſillas, & huic notæ accommodatas, vt apud Lyſiam in oratione, quam ſcripſit Eratoſtheni: Ædicula mihi eſt duplex, ſimilia habens ſuperiora inferioribus. Talis narratio Terentiana. Interea mulier quædam abhinc triennium. Ex Andro commigrauit huic viciniæ. Huius generis pleraq; priuatorum, & cumprimis humilium.*

Σχόλιον.

Σχόλιον. Accedimus ad tertium characterem, ἰσχνὸν καλούμενον: tenuem, gracilem, exilem interpretabimur. Ἰσχνὸν est, minimè σαρκῶδες καὶ μόνον οὐ ξηρόν. Est autem & huic ſua materia. Exemplum tenuis rei eſt depromptum ex oratione Lyſiæ, quæ etiamnum exſtat. Ipſe autem Eratoſthenes narrationem ſuam ſimplicem ſimpliciter orditur, vt tenuis oratio tenui negotio reſpondeat: πρῶτον μὲν οὖν, inquit, ὦ ἄνδρες (δεῖ γὰρ καὶ ταῦθ' ὑμῖν διηγήσασθαι) οἰκίδιον ἐστί μοι διπλοῦν ἴσα ἔχων τὰ ἄνω τοῖς κάτω, κατὰ τὴν γυναικωνῖτιν καὶ κατὰ τὴν ἀνδρωνῖτιν. ἐπειδὴ δέ τὸ παιδίον ἐγένετο ἡμῖν, ἡ μήτηρ αὐτὸ ἐθήλαζεν; ἵνα δὲ μή, ὁπότε λούεσθαι δέοι, κινδυνεύοι κατὰ τῆς κλίμακος καταβαίνουσα, ἐγὼ μὲν ἄνω διῃτώμην, αἱ δὲ γυναῖκες κάτω. Similis eſt reliqua narratio, in qua plæraque ſunt tenuia tenui etiam oratione expoſita.

CAP. LII.

De dictione tenui & cumprimis de perſpicuitate ſermonis.

ALTERVM *eſt de dictione. Dictionem autem omnem oportet propriam eſſe. Omnibus enim minus & tenuius eſt, quod in quotidiana conſuetudine maximum eſt, contrà inuſitatum & translatum, idem magnificum. Quare neq; ſumenda ſunt magnifica nomina in nota tenui: ſunt enim etiā ipſa notæ cōtrariæ, nempe magnificæ, vt ſuo loco oſtēdimus: neq; facta: neq; vlla deniq; quæ magnificentiam pariunt, vt allegoriæ, abruptiones, caſus obliqui, epiphonemata, poëtica, & ſimilia. Ceterum ante omnia oportet dictionē eſſe perſpicuā. Perſpicuitas autem*

est in multis: primum in proprijs, quorum mentionem iam fecimus: deinde in copulatis. Caussa hæc est, quoniam id, quod caret coniunctionibus & totum dissolutum est, omne obscurum est. Cuiusque enim membrorum initium incertum est propter dissolutionem, cuiusmodi sunt Heracliti Ephesij. Hæc enim maximam partem obscurat dissolutio. Aptior igitur sit certaminibus dissoluta dictio. Sed dictio conueniens scriptionibus est quæ facile legi potest. Hæc autem est connexa, & veluti minuta coniunctionibus. Quare etiam Menandri comœdias in theatrum ad agendum producunt, pluribus partibus dissolutas, Philemonem autem legunt. Dissolutionem autem esse conuenientissimam ad agendum, exemplo sit hoc M. Tullij de Catilina. Abijt, excessit, euasit, erupit: sic enim dissolutum vel nolentem coget agere. Sin colligata oratione sic dixeris: Catilina abiit, & excessit, & euasit, & erupit; coniunctionibus affectuum concitationem admodum sustuleris. In quo autem nullus affectus est, id ineptum erat ad agendum. Sunt vero etiam aliæ animaduersiones accommodatæ actionibus, veluti apud Euripidem, Ion arcum arripiens & cygno minitans, aui inquinanti stercore deorum simulacra. Multos enim histrioni motus præbet, cursus ad arcum, & vultus elatio ad cœlum personæ sermonem instituentis ad cygnum, & omnis reliqua confirmatio, ficta ad ornandum histrionem. Talis est apud Terentium Thrasonis aciei instructio. In medium hoc agmen cum vecti Donax: Tu Simalio in sinistrum cornu: tu Syrisce in dextrum. Sed hic de studio histrionum non proposuimus agere. Ad institutum reuertamur. Fugiat vero etiam perspicua scriptio ambiguitates, & figura vtatur, quæ epanalepsis dicitur, quasi superiorum resumptio. Est autem epanalepsis eiusdem coniunctionis illatio in

illis

illis orationis partibus, quæ benè longo interuallo post inferuntur. Cicero ad Atticum. Cum essem in Tusculano: erit tibi hoc pro isto tuo, cum essem in Geramico: verumtamen ibi cum essem. Idem pro A. Licinio. Quoties ego hunc Archiam vidi iudices? Vtar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis: quoties ego hunc vidi cum litteram scripsisset nullam? & reliqua. Illata enim copula, Quoties, redigit nobis in memoriam quod propositum fuerat, & reducit nos ad principium.

Quarto, *Perspicuitatis gratia idem quoq; duobus verbis dicendum sit, vt scilicet prius declaretur à posteriore, Quod enim concisius est, quodammodo est iucundius, quàm apertius. Vt enim qui curriculo prætereunt, aliquando non cernuntur, qui si pedetentim procederent, oculos astantium minimè fallerent: ita quod celerius aut vno verbo dicitur, facile aures præteruolat.*

Quinto *fugienda est ea ratio expositionis quæ obliquis casibus constat: hoc enim obscurum est, quemadmodum Philisti dictio. Breuius exemplum obliquæ dictionis, & iccirco obscuræ, hoc est apud Xenophontem. Triremes audiebat nauigantes ab Ionia in Siliciam, habentem Tamon Lacedæmoniorum & ipsius Cyri: idem enim rectis casibus diceretur ad hunc fortè modum. Triremes in Siliciam nauigaturæ exspectabantur: multæ Laconicæ: multæ quoq; Persicæ, quæ ea de caussa ædificabantur à Cyro. Nauigabant autem ab Ionia, atq; classi præerat Tamon Ægyptius. Ita fortasse longior exstitisset oratio, sed planior.*

Sexto. *Prorsus naturali ordine nominum vtendum est, vt in hoc Thucydidis. Epidamnus est ciuitas ad dex-*

tram nauiganti in sinum Ionium. Sic Virgilius, Fama malum, quo non aliud velocius vllum. Possit vero & contra fieri, vt propterea non obscuretur oratio. Vt Virgilius,

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago.

Non enim penitus hunc ordinem probamus, neq; improbamus alterum, quando exponimus solam naturalium formam.

Septimo. In narrationibus siue à recto incipiendum est, siue ab accusandi casu. A recto: Epidamnus est ciuitas. Ab altero: Epidamnum aiunt ciuitatem esse. Ceteri autem casus obscuritatem aliquam obijcient, & difficultatem, velutique pœnam tàm ipsi loquenti, quàm auditori.

Octauo. Danda est opera, ne in longitudinem extendamus circumscriptiones, sed in re desinamus, & ipsi auditori etiam quietem paremus. Vt: Achelous ex Pindo effluit, & mare ingreditur ad Oeniadas. Hoc enim multo planius est, quàm descriptio Thucydidea, in qua non solum quas vrbes alluat, aut circumfluat, sed etiam per quas gentes fluuius ille transeat, persequitur. Sic igitur erunt probæ circumscriptiones conformatæ: & ita gratæ erunt, quemadmodum viæ, quæ multis sunt notatæ signis, habentq; frequentia diuerticula ad quiescendum. Hæc enim signa ducibus similia sunt; quin sunt pro viæ monstratoribus. Earum vero, quæ signis careat, sitq; vniusmodi, etiamsi sit breuior, incerta esse videatur. De perspicuitate hæc dicta sint, vt pauca è multis. Eius autem orator tum semper rationem habebit, tum ipsam maxima cura in tenui oratione seruabimus.

Σχόλιον. Tenuem eſſe oportet tenuis characteris dictionem, vt ciuis honeſti, nec primarii tamen, veſtem conditioni conſentaneam. Intelligimus igitur fugienda quæcunque characteris magnifici eſſe diximus; nec multa admittenda ex eleganti, neq; ex graui, de quo vltimo loco agetur. Sed tamen neq; locum habent abiectiſſima quæq;, vt ſunt ſententiæ, vel etiam prouerbia quædam prorſus plebeia, à quorum aliquibus ne fœditas quidẽ abeſt; item vilia ſordidaq; vocabula; deniq; confuſa vel penitus neglecta omnium partiũ conſtructio. His incommodis declinatis dominatur & ſufficit ſola perſpicuitas. Sed quæ res; an non ceterorum characterũ omnium eſt σαφήνεια, an vlla oratio, aut vlla eius pars perſpicuitatis inops probari poteſt? Minimè vero. Silentium enim mẽtis tenebræ, à quibus paullum recedit orationis obſcuritas. Nec aliud vult oratio, quàm vt quod abſtruſum latet in mente dicentis, menti auditoris tamquã ob oculos ponat. Rectè igitur philoſophus, ὅτι ὁ λόγος, ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον. Quod vero perſpicuitatem vnicuiq; orationi neceſſariam ſentiret Fabius; eam ob cauſſam ſummã orationis virtutem, & primam eloquentiæ nominauit. Sed tamen in tenui nota nihil fere amplius præter ipſam requiritur. Quare ipſam hoc potiſſimum loco conſideramus. Poſtulat autem nomina κύρια καὶ συνδεδεμένα; amat ἐπανάληψιν καὶ διλογίαν, ὀρθὰς πτώσεις, τάξιν φυσικήν; vult ἄρχεσθαι ἀπὸ ὀρθῆς ἢ αἰτιατικῆς; declinat ἔκτασιν τῶν περιαγωγῶν εἰς μῆκος. De ſingulis horum diximus: nec de pro-

priis

priis in dubium venit, quoniam, quæ minus propria ſunt, facile vel tenebras, vel vmbram ſubmoleſtam inducunt. Igitur perpaucę tranſlationes hic locum habent, nec niſi vel prorſus tritæ, vel ſupra modum perſpicuæ: ſunt enim quædam & propriis luculentiores. Συνδεδεμένα autem etiam clariora ſunt non vinctis vi particularum, vt hæc connexa ſunt apud Xenophontem κύρου παιδείας IV. καὶ μεστὴ εἴη καὶ οἴων, καὶ αἰγῶν, καὶ βοῶν, καὶ ἵππων, καὶ σίτου, καὶ πάντων ἀγαθῶν. Intelligi autem debet hæc connexio περὶ συγκατηγορημάτων vel certè συνδέσμων omnis generis. Heracliti autem Epheſii, σκοτεινοῦ dicti, ſcripta quoque diſtingui difficulter poſſe, ac propterea obſcuriora eſſe Ariſtoteles nos monuit. Τὰ ἡρακλείτου, inquit, διαστίξαι ἔργον, διὰ τὸ ἄδηλον ποτέρῳ πρόσκειται, τῷ ὕστερον, ἢ τῷ πρότερον. Elocutio autem diſſoluta, nec ligata ſedulo coniunctionibus, contentionibus accommodatio eſt, καὶ ἀγωνιστικός. Conuenit enim actionibus, vt, ἐδεξάμην, ἔτικτον, ἐκτρέφω φίλε. Hic pronunciantem oportet actionem adhibere, nolit, velit: ſin dicas, ἐδεξάμην, καὶ ἔτικτον, καὶ ἐκτρέφω, feruor ille inciſus eſt, & nata πολλὴ ἀπάθεια. Vbi enim nullus affectus, id actioni minus cŏuenit. Sequitur ἐπανάληψις, cuius antè quoque meminimus, ſed ἀπὸ διλογίας καὶ ἀναδιπλώσεως nondum diſcreuimus, quod non eſt negligendum, hic tamen, quæ ipſa propriè dicatur, apparet. Exemplum hoc eſt ex oratore Attico: Ὅσα μὲν ἔπραξε Φίλιππος, καὶ ὡς τὴν Θρᾴκην κατεστρέψατο, καὶ Χερρόνησον εἷλε, καὶ Βυζάντιον ἐπολιόρκησε, καὶ Ἀμφίπο-

λιν οὐκ ἀπέδωκε, ταῦτα μοι παραλείψω. Hic per, ταῦ-
τα μοι, referuntur ſuperiora omnia. Διλογίαν au-
tem hic intelligo, cum bis idem dicitur, raro re-
petitis iiſdem verbis; nunquam odioſa itera-
tione, quæ ταυτολογία dicitur, ſed vbi aliquid
auditor deſiderare videri poſſit. Recti caſus
conueniunt huic characteri, non obliqui, quia
per obliquos breuior, & ea re obſcurior fit ora-
tio, vt in hoc Xenophontis ex l. ἀναβάσεως, τριή-
ρεις ἤκουε περιπλεύσας ἀπὸ Ιωνίας εἰς Κιλικίας, Τάμων
ἔχοντα τὰς Λακεδαιμονίων, καὶ αὐτοῦ Κύρου. Perſpi-
cuum magis foret rectis caſibus elatum hoc
pacto: Τριήρεις προσεδοκῶντο εἰς Κιλικίαν, πολλαὶ
μὲν Λάκαιναι, πολλαὶ δὲ Περσίδες, Κύρῳ ναυπη-
γηθεῖσαι ἐπ' αὐτοῦ τούτῳ; ἔπλεον δ' ἀπὸ Ιωνίας; ναύαρ-
χος δ' αὐτοῖς ἐπεστάτει Τάμως Αἰγύπτιος. Ad ordi-
nem accedimus. Hic rectiſſimus eſt, quem na-
tura docet, idemque ſimpliciſſimus, vt de quo
dicturus ſis, hoc antè colloces: deinde, quid:
denique quomodo, aut vbi, aut quodcunque
circumſtantiarum, vt Thucydides libro I. Ἐπί-
δαμνός ἐστι πόλις ἐν δεξιᾷ ἐσπλέοντι εἰς τὸν Ιόνιον κόλπον.
Neque tamen hoc planè perpetuum eſt. Nam
ſic de Corintho poëta: Α. Ζ. Ἔστι πόλις Ἐφύρη,
μυχῷ Ἄργεος ἱπποβότοιο. Eſt & vna legum per-
ſpicuitatis, vt narrationem ordiamur à recto,
vel ab accuſandi caſu, vt in Thucydideo: Ἐπί-
δαμνός ἐστι πόλις, aut, Λέγεται Ἐπίδαμνον εἶναι πόλιν. De-
nique vel ex iis quæ initio diximus, vel ex iis,
quæ paullo poſt dicemus, liquet, non conueni-
re longas circumductiones, cum ipſæ ſint ma-
gnifici characteris. Ex magnifica de Acheloo
circum-

circumſcriptione faciemus ſimpliciorem, videlicet huius notæ, & vnicuique perſpicuam. Ὁ γὰρ Ἀχελῷος ῥεῖ μὲν ἐκ Πίνδου ὄρους, ἔξεισι δὲ εἰς θάλασσαν. Nec tamen eo reprehendimus Thucydidem, nec Xenophontem, quibus licuit in ſuis narrationibus, tenuitate miſſa, ſublimius loqui, nec tamen non etiam perſpicuè, ſi quis attendat. Hoc enim ab omni genere ſcriptorum requiri, iampridem diximus.

CAP. LIII.

De notæ tenuis compoſitione.

SEQVITVR, vt de huius quoq; notæ compoſitione dicamus. In ea fugienda primùm eſt, quod ex eo, quod paullo antè dictum fuit intelligi quoq; poteſt, membrorũ magnitudo, quæ conuenit notæ magnificæ. Omnis enim longitudo magnificum eſt, quemadmodum etiam in heroïs metris hexametrum heroicum, quod ita vocatur ratione magnitudinis, & quòd conuenit heroibus. Comœdia autem noua, qua explicantur res, à vulgo non multũ remotæ, contracta eſt in trimetros ſiue ſenarios, quos pœne in vulgari vſu loquendi eſſe initio quoq; dictũ fuit. Quare etiam plerumq; membris trimetris vtemur, non puris ſenariis, ſed factis illis ad horum ſimilitudinem, vt Plato inquit: Heri deſcendi in Piræum cum Glaucone. Verum extremæ partes membrorum habeant etiam ſedem firmam, veluti crepidinem, cui inſiſtant: nam extenſiones in extremis partibus magnificæ ſunt, vt in loco Thucydidis ante adducto: Achelous fluuius fluens è monte Pindo: & quæ ſequuntur. Secundo igitur etiam fugiendi ſunt longarum litterarum concurſus in hac nota & diphtho

diphtongorum : omnis enim extensio tumidum, vt in passu quoque transeuntis animaduertimus. Quod si concursus fieri necesse est, breuia cum breuibus committi possunt, aut breuia cum longis, aut alia quapiam ratione per breuem litteram. Ac prorsus apparere oportet, hunc dictionis modum esse abiectum & vulgarem & studio etiam factum. Denique in hac nota fugiendæ sunt insignes figuræ : quodcunque enim singulariter signatum, est præter consuetudinem, & haudquaquam vulgare.

Σχόλιον. Vt membrorum longitudo vitanda sit, quod est compositionis, non semel iam dictum fuit, ne scilicet in magnificum characterem incidamus, in quo tamen ipso neq; membra immania, neq; ambitus iustum finem excedentes esse oportere intelligimus. Hoc enim nulli prorsus notæ conueniret, nec legitimæ denique orationi. Longitudinis mensura est τρίμετρον. Sit igitur membrum τρίμετρον, non exquisito syllabarum numero, neq; certis pedibus, sed habeat speciem trimetri. Verum & hoc præceptum ad fastidium vsque inculcauimus. Sic Plato initio librorum de Rep. Κατέβην χθὲς εἰς τὸν Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος. Sic Æschines Socratius : Εκαθήμεθα ἐπὶ τῶν θάκων ἐν Λυκείῳ, οὗ οἱ ἀθλοθέται τὸν ἀγῶνα διατιθέασιν. Vsus vero est non solum membrorum modicorum, sed incisorum etiam. Habeant suam crepidinem, non productiorem, vt Thucydidea : careant diphtongorum & longarum vocalium collisionibus : sed vel breuia cum breuibus concurrant, vt in exemplo, quo & supra vsi fuimus:

πάντα

πάντα μὲν τὰ νέα καλά ἐστι; aut hæc eadem cum longis: vt, ἥλιος δ' ἀνόρουσε. Denique in hac nota locum non habent σημειώδη σχήματα. πᾶν γὰρ παράσημον ἀσυνήθες, καὶ οὐκ ἰδιωτικόν. Cum hic vſitata conueniant & vulgaria, illuſtres & longius petititæ & ſublimes translationes vitandæ erunt, quæque horum ſimilia ſunt, quorum quædam antè quoque indicauimus.

CAP. LIV.

Eam notam maximè recipere euidentiam & probabilitatem & quid vtraq; ſit.

CÆTERVM *hæc nota maximè recipit euidentiam & probabilitatem. Quare & de his dicemus. Eſt autem euidẽtia facultas aliqua, quæ ſubijcit ſenſibus ea, quæ dicuntur. Vnde Ariſtoteles euidentiam nominat, ante oculos ponere. Oritur autem ipſa primum ex accurata narratione, cum neq; relinquas aliquid, neq; reſeces. Exempla apud* Homerum *nuſquam non ſunt obuia, cuiuſmodi hoc eſt de eo, qui aquæ ductum facit, quemadmodũ ille initio facto à fonte per medios hortos præit, ligone foſſam faciens, impedimenta remouens, donec in calculos aqua irruat, ipſaq; celeri fluxu campos irriget, ſuumq; anteuertat ducem. Simile eſt hoc in certamine equeſtri, honori patrocli inſtituto, vbi ſic poëta de* Diomedis *equis:* Non *longè aberant ab antecurrentibus bigis, ſed proximè.* Eas *enim iamiam conſcenſuri videbantur. Quin &* Eumeli *ſinciput & humeros afflatu ſuo calefaciebant: ita in eum, quaſi capitibus poſitis volabant.* Exemplum *euidentiæ eſt apud* Latinum *comicum in* Phormione *in narratione Getæ, vbi inquit;*

Vbi in gynæceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:
Pone apprehendit pallio, resupinat, respicio rogo,
Quamobrem retineat me: ait esse vetitum intrò ad heram accedere.
Sophrona modo fratrem huc, inquit, senis introduxit Chremem,
Eumque nunc esse intus cum illis: hoc vbi ego audiui, ad fores
Suspenso gradu placidè ire perrexi, accessi, astiti.
Animam compressi, aurem admoui: ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans.

Talis quoque locus est Catulli de parcis nentibus:

His corpus tremulum complectens vndiq; vestis
Candida purpurea Tyrios excinxerat ora.
At roseo niuiæ residebant vertice vittæ,
Æternumq; manus carpebant rite laborem.
Læua colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens,
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atq; ita decerpens æquabat semper opus dens:
Laneaq; aridulis hærebant morsa libellis,
Quæ prius in tenui fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.

Sæpe vero etiam repetitio euidentiam facit potius, quàm si semel dicamus. Vt, quod exemplum supra quoque fuit positum: Tu in viuentem inuehebaris acriter: iam in mortuum scribis acriter: bis enim positum, acriter,

criter, euidentiorem ostendit contumeliam. Simile est: Abs te hoc est dictum male: abs te & hoc est factum malè. Hoc vero etiam obijciunt Ctesiæ, quasi loquacior sit propter repetitiones. Fortaßis id ei multis in locis rectè obijcitur; multis vero in locis non animaduertunt scriptoris euidentiam. Idem enim ponit, quod sæpe maiorem vim habeat, cuiusmodi hæc sunt. Medus quidam Stryaglius nomine, cum in prælio Sacida ab equo deiecisset, (præliātur enim & mulieres apud Sacas, sicut Amazones) cumq́; vidisset eam formosam & ætate florentem, potestatem ei fecit, vt salua abiret. Postea vero icto fœdere, cum amaret mulierem, repulsam passus est; quapropter constituit inedia finire vitam. Verū antè ad eam litteras scribit, grauiter ipsam accusans: Ego te seruaui, & tu per me seruata es, ego vero opera tua perij. Hic fortasse breuitati studens aliquis reprehenderet, quod bis esset positū nulla de caussa: ego te seruaui, & tu per me seruata es: ambo enim idem significant: verum si alterutrum abstuleris, vna etiam euidentiam abstuleris, & affectum, qui nascitur ex euidentia: præterea quod infertur, perij, pro pereo, euidentius est ipsa perfectione. Nam quod accidit grauius est & hoc quod eueniet & altero quod iam fit. Denique hic poëta (neque enim quis iniuria ipsum appellabit poëtam) euidentiæ opifex est in vniuersa historia. Quo nomine ipsum quoq́; in Artaxerxe Plutarchus reprehēdit. Oportet, quæ euenerint, non exponere, nisi paullatim, atq́; auditorem suspensum tenere, & cogere in similes animi motus, vt quasi nobiscum luctetur. Hoc facit in Cyro mortuo Ctesias: cum enim venisset nuntius, non subito dicit matrē Parysatidi, Cyrum esse mortuum: fuisset enim hoc, quæ prouerbio dicitur Scythica vox; sed primum nunciat, Cyrum vicisse: ibi gauisa totoq́; animo commota, deinceps

scisci-

sciscitatur. Rex vero, vt agit?tum ille. Fugit, inquit. Atq; illa suscepto sermone: Etenim horum ipsi caussa Tissaphernes est: atq; denuo sciscitatur: Vbi autem modò Cyrus est? Respondet nuncius: quo loco decet viros fortes degere. Pædetentim & paulatim progressus, vix tandem, vt dicitur, abrupit rem. Admodum moratè & euidenter ostendit Ctesias, & nuncium inuitum narrare calamitatem, vt matrem conijciat in luctam veluti animi, & auditorem. Deniq; euidentia oritur ex eo, cum dicuntur quæ consequuntur res, vt qui dixit de incedente rustico homine, abeuntis pedum strepitum auditum esse, quod non ille iret, sed veluti calcibus terram tunderet. Et hinc oritur euidentia, si quæ videantur esse in verbis tenebræ, quod fit maximè, si contraria dici videantur, eas ratione exposita discutias. Vt apud Platonē in Protagora de Hippocrate: Erubescebat ille nocte; nonnihil enim illucescebat, vt color dinosci potuerit. Hoc euidentißimū esse, neminem fugit, quæ euidentia nata est è cura adhibita ad scriptionem; cum antè retulisset, nocte ad se venisse Hippocratem. Oritur item ex asperitate soni euidentia, vt non orationem solum, sed rem quoq; ipsam audire videamur, vt in hoc Virgilij:

Tum ferri rigor, atq; argutæ lamina serræ.

Imitatus est enim asperitate soni stridorem serræ. Omnis autem imitatio habet quiddam in se euidens. Deniq; facta nomina euidentiam gignunt, quemadmodum si lambentes canes dicas, imitatione exprimens vocem Homeri, quod fuit euidentius dictū, quàm si bibentes dixisset: quod vero addidit linguis; id adhuc euidentiorem reddit orationem. Atq; hæc de euidentia dicta sint, vt rudi modo facere consueuimus. Sed institueramus quoq; de persuadibili dicere, non omni: neq; enim de altero, quod argu-

mentis fit, hic agimus; sed de eo, quod dictione efficitur. Hoc autem est in duobus, videlicet in plano, & in vsitato: nam quod obscurum est & remotum à consuetudine communi, ad persuadendum ineptum est. Dictio igitur non eximia neque inflata sectanda erit, si probabiliter velis loqui. Ita neque compositio stabilis, neque prorsus carens numeris. Hic enim in vitio est negligentia: illic si tanquam certis pedibus omnem constringamus orationem, suspectum reddit oratorem auditori. In his igitur & persuadibile, & in eo, quod tradit Theophrastus, quod nequaquam oportet omnia accuratißimè verbis narrare, sed quædam relinquere intelligenda auditori & cogitanda: vbi enim intellexerit id per se, quod à te fuerit præteritum, non auditor solum tuus, sed & testis efficitur. Præterea habet simul plus beneuolentiæ. videtur enim accuratior tua opera, qui ei ansam præbueris ad intelligendum. Contra vero omnia referre & inculcare, veluti parum sanæ mentis homini; illud est, quasi contemnas & stultitiæ condemnes tacite auditorem. Satis iam de nota tenui diximus.

Σχόλιον. Ceterum huius characteris proprias esse ἐνάργειαν & πιθανότητα vel exemplo est Lysias, cuius omnis oratio hunc ipsum characterem potissimum sapit. Testatur etiam Halicarnassæus in illius oratoris vita, fuisse eum euidentiæ perquam studiosum, nec non eodem loco, de hac ipsa re non diligẽter erudit. Sed ipsius magistri verba, quando ad rem multũ faciunt, adscribam. Ἔχει δὲ, inquit, καὶ τὴν ἐνάργειαν πολλὴν ἡ Λυσίου λέξις. αὕτη δέ ἐστι δύναμίς τις ὑπὸ τὰς αἰσθήσεις ἄγουσα τὰ λεγόμενα. γίνεται δὲ ἐκ τῆς τῶν παρακολουθούντων λήψεως. ὁ δὲ προσέχων τὴν διάνοιαν

τοῖς

τοῖς Λυσίου λόγοις, οὐχ οὕτως ἔσται σκαιὸς ἢ δυσάρεστος, ἢ βραδὺς τὸν νοῦν, ὃς οὐχ ὑπολήψεται τὰ δηλούμενα ὡς γινόμενα ὁρᾶν, καὶ ὥσπερ παροῦσιν οἷς ἂν ὁ ῥήτωρ εἰσάγῃ προσώποις ὁμιλεῖν. Definit ἐνάργειαν facultatem, quæ ſenſibus ſubiiciat quæ dicuntur: potiſſimum igitur oculis, quòd hic ſenſuum acerrimus. Vnde fiat, docet, nempe ἐκ τῶν παρακολουθούντων λήψεως. Neque hæc non dicuntur à Demetrio, ſed plura explicantur, quando ordine multæ rationes euidentiæ parandæ recenſentur. Namque ἐνάργειαν Tullius euidentiam & illuſtrationẽ nominat; neq; ab illo diſſentit Fabius inſtitutionum oratoriarum libro V I. Eſt enim ἐναργὲς, quod euidenter in oculos incurrit. Homerus Δ. Π. Οὐ γὰρ δὴ πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς. Hinc grammatici ἐναργῆ interpretantur, λευκὸν, καὶ φαεινὸν, καὶ κατ' ὄψιν φανερὸν, παρὰ τὸ ἀργὸς, ὃ ἐστὶ λευκὸς, ὅθεν ἐναργεῖς θεοὶ ὁ ἥλιος καὶ σελήνη ἐλέγοντο παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Καὶ ἐναργὴς φαίνεσθαι λέγεται ὁ ὀφθαλμοφανῶς φαινόμενος. ἀντίκειται δὲ τὸ ἐναργὲς τῷ νοητῷ καὶ φανταστῷ. Hæc Euſtathius. Eſt igitur in hac euidentia, vt ante oculos rem conſtituat, quod dicitur πρὸ ὀφθαλμῶν ποιεῖν. Eſt enim in ea luculenta perſpicuitas. Nec eſt eadem ἐνάργεια, quæ ἐνέργεια. Περὶ ἐναργείας diximus: ἐνέργεια dicitur παρὰ τὸ ἐνεργεῖν, quam actũ interpretemur, ab agendo dicta, inquit Quinctilianus, & cuius propria ſit virtus, non eſſe quæ dicuntur otioſa: τὰ ἄψυχα ἔμψυχα ποιεῖ, καὶ ἐνεργοῦντα: in quibus ſenſus non eſt, nec animus, iis dat ſenſus & animos. Vt: pontem indignatus Araxes. Item: Ἐν γαίῃ δ' ἵσταντο λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι,

ἆσαι, quaſi fluuius animo fuiſſet grauiter commotus, aut haſtæ ſanguinem ſitierint. Apparet ἐνέργεια in optimo genere translationem, quæ ipſæ quoque rem ob oculos ponunt, nec carent euidentia. Ἐνέργεια igitur ἀπ᾽ ἐναργείας non excluditur, ſed nec idem ſunt ambæ, quoniam alię etiam ſunt ſpecies ἐναργείας, vt narratio quam accuratiſſima, ἀκριβολογία dicta, cuius duo exempla ex Homero adducta ſunt: prius eſt Λ. Φ.

Ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀνὴρ ὀχετηγὸς ἀπὸ κρήνης μελανύδρου,
Ἀμφυτὰ καὶ κήποις ὕδατος ῥόον ἡγεμονεύει
Χερσὶ μάκελλαν ἔχων, ἀμάρης δ᾽ ἐξ ἔχματα βάλλων,
Τοῦ μέν τε προρέοντος ὑποψηφῖδες ἅπασαι.
Ὀχλεῦνται, τὸ δέ τ᾽ ὦκα κατειβόμενον, κελαρύζει
Χώρῳ ἐνὶ προαλεῖ, φθάνει δέ τε καὶ τὸν ἄγοντα.

Alterum Λ. Ψ.

οὐδέ τι πολλὸν ἄνευθ᾽ ἔσαν, ἀλλὰ μάλ᾽ ἐγγύς.
Αἰεὶ γὰρ δίφρου ἐπιβησομένοισιν ἐΐκτην:
Πνοιῇ δ᾽ Εὐμήλοιο μετάφρενον, εὐρέε τ᾽ ὤμω
Θέρμετ᾽. ἐπ᾽ αὐτῷ γὰρ κεφαλὰς καταθέντε πετέσθην.

Sed exemplorum ſatis eſt, quibus libet ex Claudiano vnum atque alterum ſubiicere. Hic igitur in Ruffinum, non ſolum προσωποποιεῖ, ſed etiam ἐναργῶς πρὸ ὀφθαλμῶν τίθησιν vnam furiarum, his verſibus:

Complentur vario ferrata ſedilia cœtu,
Totaq; collectis ſtipatur curia monſtris.
A lecto ſtetit in mediis, vulguſq; tacere
Iuſſit, & obſtantes in tergum repulit angues,
Perq; humeros errare dedit, &c.

In eodem carmine de præcipitanti fluuio.

Haud ſecus hiberno tumidus cum vertice torrens
Saxa rotat, voluitq́ nemus, ponteſq́ reuellit;
Frangitur obiectu ſcopuli, quærenſque meatum
Spumat, & illiſa montem circumtonat vnda.

Alia ſpecies huius euidentiæ eſt διλογία, cum idem plus quàm ſemel dicitur. raro iteratione eiuſdem dictionis, plærumque ſententiæ repetitione aliis verbis explicatæ. Eo genere frequenter vſus narratur hiſtoriæ Perſicæ ſcriptor Cteſias, quo nomine immerito ſuo aliquando reprehenditur, vti interdum culpa non vacat. Ex eius libris hoc exemplum illuſtre eſt. Στρυάγλιός τις ἀνὴρ μῆδος, γυναῖκα σακίδα καταβαλὼν ἀπὸ τοῦ ἵππου. μάχονται γὰρ δὴ αἱ γυναῖκες ἐν σάκαις, ὥσπερ αἱ Ἀμαζόνες. θεασάμενος δὴ τὴν σακίδα εὐπρεπῆ καὶ ὡραίαν, μεθῆκεν ἀποσώζεσθαι. μετὰ δὲ τοῦτο σπονδῶν γενομένων, ἐρασθεὶς τῆς γυναικὸς, ἀπετύγχανεν; ἐδέδοκτο μὲν αὐτῷ ἀποκαρτερεῖν. γράφει δὲ πρότερον ἐπιστολὴν τῇ γυναικὶ μεμφόμενος, τοιάνδε. Ἐγὼ μέν σε ἔσωσα, καὶ σὺ μὲν δι᾽ ἐμὲ ἐσώθης; ἐγὼ δὲ διὰ σὲ ἀπωλόμην.

Ἐναργείᾳ huius generis neque ipſum Platonem vti piguit, πολιτειῶν VI. quo loco φιλαλήθειαν in philoſopho flagitat. Τὴν ἀψεύδειαν, (ἀνάγκη ἔχειν τὸν φιλοσοφήσοντα ἐν τῇ φύσει) καὶ τὸ ἑκόντας εἶναι μηδαμῇ προσδέχεσθαι τὸ ψεῦδος, ἀλλὰ μισεῖν, τὴν δὲ ἀλήθειαν στέργειν. Maluit philoſophus διλογεῖν propter euidentiam, quàm ſimpliciter dicere, quo tamen plus non voluit, ὅτι δεῖ τὸν φιλόσοφον φιλαλήθη εἶναι. De Cteſia Gnidio non attinet hic dicere pluribus: quem Phalereus non iniuria poëtam vocari iudicat, partim, vt puto, propter elocutionis ſtudium, vergentis ad dictionem poëticam,

poëticam, partim, & quidem potissimum propter fabulas, quibus historiam suam contaminarit. Hoc enim testatur Plutarchus in vita Artaxerxis, cum eius fidem accusasset, οἷα πάρεργα πολλάκις, inquiens, ὁ λόγος αὐτοῦ πρὸς τὸ μυθῶδες καὶ τὸ δραματικὸν ἐκτρεπόμενος τῆς ἀληθείας. Sequitur aliud præceptum de euidentia: ὅτι δεῖ τὰ γινόμενα οὐκ εὐθὺς λέγειν: quod non tam ad orationem, quam ad ipsos mores pertinet: vsque adeo verum est, animo moribusque formatis, linguam formari multo facilius. Illustrauit exẽplo eiusdem Ctesiæ, narrantis, quemadmodum nuncius mortem Cyri Parysatidi minus incommodè exposuerit. Nam secundum poëtam: ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ: idque ex vsu ipsius quoq; nuncii est, quando, vt rem aduersam auersamur, ita eius nuncium: quod & tragicus poëta scripsit, ὅτι οὐδεὶς φιλεῖ ἄγγελον κακῶν ἐπῶν. Ita qui rem tristem exponit, habet rationem & sui & alterius: quorum neutrũ prudens negligat. Sententia autem prouerbii, σκυθικὴ ῥῆσις, per se clara est. Nam quod non leuiter inelegans, sed planè barbarum esset, id Scythicum dixerũt. σκυθρωποὶ dicti sunt toruo & inhumano vultu, etiam qui tristi essent, quod demissio animi oris quoque hilaritatem tollat. Quartum præceptum, ἐκ τῶν παρεπομένων τοῖς πράγμασι, consentit cum iis quæ initio proposuimus ex Halicarnassæo. Quinctum, vt quæ obscuritas sit, adiectis clarioribus verbis, vel ratione exposita tollatur. Vt cũ in Protagora Platonis ante lucẽ Hippocrates venit ad Socratem, & vterq; summo dilu-

mo diluculo ambulantes colloquuntur, nec habebat Hippocrates, quod Socrati quærenti, quamobrem Protagoræ ſophiſta operam daturus eſſet, erubuit. Ait, erubuit? Nondum enim intellexerat. Tenebræ igitur & in his verbis. Has remouet Plato, cum ait: Iam enim luceſcebat. Sic enim ſcribit. Καὶ ὃς εἶπεν ἐρυθριάσας, (ἤδη γὰρ ὑπέφαινέ τι ἡμέρας, ὥστε καταφανῆ αὐτὸν γενέσθαι) καὶ τὰ λοιπά. Hæc igitur etiam ratio euidentiam parit, aut certè diſcutit caliginem, quæ euidentiæ inimiciſſima eſt: ratio ipſa, ſi quid video, neceſſaria in vnoquoque characterum. Sextum præceptum eſt περὶ κακοφωνίας. Vt Δ. I. de immanitate Polyphemi, duos ſociorum Vlyſſis in terram ſternentis. Σὺν δὲ δύο μάρψας, ὥστε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ κόπτ', ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν. Vbi κόπτειν, ἀντὶ τοῦ κρούειν καὶ προσαράσσειν eſt κακόφωνον. Sed de iis verſibus etiam Halicarnaſſæus præclarè ſenſit. Ἀραττομένων δὲ, inquit, περὶ πέτρας ἀνθρώπων, ψόφον τε καὶ μόρον οἰκτρὸν ἐνδεικνύμενος, ἐπὶ τῶν ἀηδεστάτων τε καὶ κακοφωνοτάτων χρονιεῖ γραμμάτων, οὐδαμῇ λεαίνων τὴν κατασκευὴν οὐδὲ ἡδύνων. Item Λ. vltima rapſodia, de iis, qui ligna ex Ida conueherent: Πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε, δόχμιά τ' ἦλθον. Reliqua eſt ratio περὶ πεποιημένων, cuius generis eſt, ὡς τοῦ σίζ' ὀφθαλμός. Item, λάμψοντες γλώσσῃσιν: de quorum vtroque antè. Sic, Λίγξε βιὸς, νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχε, ἆλτο δ' ὀϊστὸς, in quo eſt præterea ἐνέργεια. Nam, vt puto, ἰάχειν, ἐνεργητικὸν eſt, nec ſimpliciter ſonum edere, ſed quem conſtitueris. Nam alibi ait: Ἀργεῖοι δὲ μέγ' ἴαχον. Sic de ſaltu ſagittæ. Igitur ἐνέργεια καὶ ἐνάργειαν ποιεῖν

δοκεῖ,

δοκεῖ, vel potius hoc dubii nihil habet. Denique περὶ ἧς νῦν λέγεται πιθανότητος, ea est verborum & compositionis, ne videantur quæsita & ad circumscribendum multo singularique studio parata. Quæ Theophrastus autem docuit, neque ea prætererat Aristoteles in libris de arte dicendi.

CAP. LV.

De charactere epistolico obiter, quòd is è tenui & elegante componatur.

ETSI *vero ex nota tenui mera aut sola non conflatur epistola: tamen cum epistolica nota tenuitate etiam egeat; de illa quoque dicemus. Artemon igitur, qui Aristotelis epistolas in ordinem redegit, earumque volumen edidit, ait, eodem stilo scribendas epistolas, quo scribitur dialogus. Esse enim epistolam velut alteram dialogi partem. Ac fortè aliquid dicit, sed non dicit omnia. Oportet enim quodammodo plus accuratæ considerationis adhibere ad exarandas cum laude litteras, quàm ad scribendum dialogum. Dialogus enim imitatur ex tempore loquentem; sed epistola scribitur & donum mittitur aliquo modo. Quis igitur ita loqueretur cum amico, vt Aristoteles cum Antipatro, scribens pro exule, inquit?* Si quocunque hic exilio periit, vt desperatus ei sit reditus, nimirum iis, qui apud inferos sunt, redire volentibus, non sit inuidendum. *Qui enim sic loquitur, videtur potius demonstrare, non familiariter loqui. Etiam solutiones crebræ non conueniunt epistolis. Videatur enim nasci disputatio pro epistola. Præterea quæ imitationis sunt,*

non ita ſcriptionis ſunt, nedum conueniant epiſtolæ, veluti in Euthidemo Platonis: Quis erat, mi Socrates, qui cum heri in Lyceo differebas? certe multi nos circumſtabat. *atque paullulum progreſſus ita infert:* ac mihi videbatur hoſpes quiſpiam eſſe, qui cum loquebare: quis erat? *Huiuſmodi enim omnis explicatio atque imitatio perſonæ magis conuenit, quàm epiſtolis, quæ ſcribantur. Plurimum autem morati habeat epiſtola, ita vt dialogus: ſic enim quiſque ſcribit epiſtolam, vt animi ſui effigiem. Ac videre licet ex quauis oratione mores, vnde & eſt prouerbium; ſermonem eſſe certam animi notam; ſed ita euidenter ex nulla, vti ex litteris; nec facile quis ita litteras pingere fucoque illinere poteſt, vel potius nemo eas ita ſemper poteſt pingere, vt ſcriptoris animus intimus non aliquando deprehendatur. Si enim nihil aliud, aut ſi non certum malitiæ genus, fraus ipſa hinc inde emicat. Quare etſi hic canon vitæ eſt, vt & bene ſentiamus & bene faciamus: tamen ſeruiet, ni fallor, orationi non minus, quàm quidquam præceptorum. Ita qui bene ſentiat, & bene faciat, non magna difficultate idem etiam bene ſcribat, aut certè in id, quod fœdiſſimum eſt in oratione, nunquam incurrat; cetera mediocri ſtudio & vſu facilè ſibi pariat.*

Magnitudo *vero etiam contrahatur epiſtolæ. Quæ enim valde longæ ſunt, atq; inſuper oratione tumidiores, equidem epiſtolæ eſſe nequeant, ſed opera, in quorum fronte ſcripſerimus S. P. quemadmodum ſunt multæ Platonis, & præ ceteris ad Dionyſium & Dionis propinquos, & epiſtolæ Thucydidis; quædam item Iſocratis & Demoſthenis.* Nonnullæ *tales ſunt M. Tullij; præ ceteris nobilis illa ad Q. Fratrem, Aſiæ tunc proconſulem: liber*

enim

enim est, quo virum politicum magna ex parte erudit.

Habenda est & compositionis ratio. Sit igitur structura verborum dissolutior potius, qualis est pane omnium Ciceronis ad Atticum. Ridiculum est enim orbes orationum facere, quasi non epistolam, sed caussam scribas; neque solum ridiculum, sed neque amicitiæ conueniens, quoniam arrogans, cum excludatur familiaritas, comes & index beneuolentiæ. Quod enim in prouerbio est, vt ficum ficum dicamus; id seruandum prorsus in epistolis, si vspiam in oratione; quod in omni re tamen boni viri facient, detestati quicquid cum veritate non congruit.

Videamus quoq; quæ sit materia epistolæ: non solum enim certa quædam locutio, sed quædam etiam res propriæ conueniũt epistolis. Aristoteles igitur, vt qui plurima, ita doctissimorum hominum iudicio præter ceteros formam epistolicam videtur assecutus. Hoc autem, inquit, non scribo ad te. Non esset hæc res accommodata epistolæ. Si quis enim litteris persequitur sophismata & naturæ rationes; scribit ille quidem, sed non scribit epistolam, cuiusmodi exstant tres Epistolæ Epicuri apud Laërtium. Debet enim esse epistola, vt multa simul cõplectantur, breuis aliqua beneuolentiæ significatio, & negotij simplicis expositio, & conflata verbis simplicibus. Hæc autẽ simplicitas elegantiam non respuit, sed præcipuè est hæc epistolæ elegantia, beneuoli animi indicationes & crebra prouerbia adspersa. Hæc enim sola sapientia in epistola sit, non peculiaris quædã & recondita, quoniam populare quiddam est prouerbium & commune. Si quis vero sententias edit & cohortatur; non iam ille per epistolam aliquid significare, sed per machinam videtur. Aristoteles

stoteles sanè etiam demonstrationibus alicubi vtitur epistolicis; vt quando docere vult, eodem pacto & magna oppida & pusilla beneficiis afficienda esse, inquit: Dii, in vtrisq; æquales: siquidem igitur Gratiæ deæ, in vtrisque tibi æquales constituentur. *Hic & quod demonstratur, est epistolæ accommodatum, & ipsa quoq; demonstratio. Cum vero etiam & ad respub. interdum & ad reges scribamus; sint sanè hæ epistolæ nonnihil elatæ, ac recedant à stylo tenui aliquantò proprius ad magnificum. Nam habenda est ratio etiam personæ, ad quam scribas. Sic tamen elatas eas esse oportet, vt non opus nascatur pro epistola, quemadmodum illa Aristotelis ad Alexandrum, & Platonis ad Dionis propinquos. Quod tamen exemplo talium virorum fit, & tantis auctoribus, id fortasse non magnopere reprehendi poßit. In vniuersum autem, quod ad elocutionem, misceatur epistola ex duabus notis, eleganti & tenui. Atque hæc de epistola dicta sint; simulque de nota tenui.*

Σχόλιον. Orationes rhetorum conflantur è dicendi notis omnibus, quas ita misceri oportere existimamus, vt vnicuiq; rei sua dictio, sua compositio tribuatur. Suam dico, quæ maximè conueniat. Conuenire autem maximè iudicanda sunt, quæ si aliter, vel efferrantur, vel constituantur; neq; vim neq; decus idem obtineant. Ita perfecta erit oratio, in qua non multum desideremus, quàm potius admiremur. An vero hæc ratio sequenda est in exarãdis litteris? Nam videtur esse operæ precium hac etiam de re aliquid præcipere. Namq; huiusmodi præceptorũ vsus erit singularis & quotidianus. Vix enim

dies

dies præterit, quin politi homines epiſtolas conſcribant, ſiue id ipſis neceſſarium eſt ad expediẽda alibi per alios negotia, ſiue quia ita volunt, quòd ſentiunt, vnã hanc eſſe neq; contemnendam rationem tuendæ amicitiæ, aut colendæ humanitatis. Humanitatem autem qui tollat è ſocietate mortalium, plantas omniũ bonorum radicitus exſtirpet, & omnium contra malorum ſemina iaciat, quorum per ſe, vt lolii, ampliſſimus eſt prouentus. Litteræ dicuntur, quia hæ ſunt ſcriptionis elementa. Sed an hæc ſola ſcriptio? Videtur omnium prima, quoniam maximè neceſſaria; ceteræ, quæ multiplices orte deinceps. Epiſtolæ autẽ, quia mandata de noſtris rebus exponunt: nam ἐπιστέλλειν etiam mandare eſt. Sic Thucydides libro I. ἐπιστέλλουσι τοῖς ἄρχουσι τῶν νεῶν, πολυδαματῶν ὁμήρους λαβεῖν. Et ἐπιστολὴ apud Æſchylum initio προμηθέως δεσμώτου; Σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολὰς: quę paullo poſt dicuntur ἐν πολαί. Idem πέρσαις; Ξέρξης δ᾽ ἐμὸς παῖς, ὢν νέος, νέα φρονεῖ, κοὐ μνημονεύει τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς. Qui autem epiſtolas rectè ſcribent, vtentur potiſſimum nota tenui. A quo iudicio Artemon non videret diſſentire. Putauit enim, qua ratione ſermones componuntur, eadem & exarandas litteras, quòd hæ ſunt ſermonis pars altera. Hinc apparet eum voluiſſe tenuem characterem conuenire epiſtolis, quoniam ex eo conſtant dialogi. Habentur enim ex tempore, & ſic conſcribuntur, quaſi ex tempore habiti; nec admittunt, niſi familiarem ſermonem, aut qui ad familiarem accedat proximè. Appareat igitur

 hæc

hęc negligentia, ſiue orationis humilitas inſcriptis dialogis, cuius tamen non multa veſtigia oportet exſtare in ſcriptis epiſtolis. δεῖ γὰρ ὑποκατεσκευάσθαι πως μᾶλλον τοῦ διαλόγου. Oportet epiſtolam eſſe magis adornatam, ſiue paullo maiore diligentia ſcriptā, quàm ſermo aliquis, quòd quodammodo muneri amico mittitur. Munus autem ſordidum nemo amico mittit, qui ſapiat. Ne ſint igitur inquinatæ, ne abiectæ epiſtolę, ne careant cura, ne tamen multam perpetuamque præ ſe ferant. Nec enim hoc conuenit amicitiæ æqualium, inter quos ea contrahitur, ſed eſt inferiorum aduerſus multò ſuperiores. Ex epiſtolis præſtantium virorum exempla peti poſſunt, quæ accuratiora eſſe patet, quàm vt ſermonibus conueniant, Tale eſt Ariſtotelis ad Antipatrum: Εἰ δὲ περὶ ἁπάσας οἴχεται τὰς φυγὰς οὕτως, ὥστε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς τοῖς γε ἐν ᾅδου κατελθεῖν βουλομένοις οὐδεὶς φθόνος. Qui locus clarior eſſet, ſi integra exſtaret epiſtola: hoc tamen non eſt obſcurum, acutiorem eſſe orationem, quàm familiariorē. Sermones item ſoluti ſunt, neq; coniunctionibus quaſi conglutinati. Conuenit enim actioni ſolutio, quod prius quoque monuimus. At epiſtolarum partes copulis oportet connecti; quod niſi fiat, naſcetur obſcuritas, quo loco perſpicuitate opus erat. Exemplum ex Euthydemo Platonis hoc eſt: τίς ἦν, ὦ Σώκρατες, ᾧ χθὲς ἐν Λυκείῳ διελέγου; ἦ πολὺς ὑμᾶς ὄχλος περιειστήκει: paucis vero interiectis: καί μοι ἔδοξεν εἶναι ξένος τις, ᾧ διελέγου. τίς ἦν; Hæc epiſtolæ aut numquam, aut admodum raro conueniunt. Namque etiam intelligens hu-

ius rei, quando conuenientiſſimū iudicat, (rectè autem iudicabit) vel aliquid διαλογικὸν, vel διαλογισμὸν includet epiſtolę. Non dubitauit hoc facere in hoc genere princeps Cicero: incluſit idem & partes orationum. Verum exceptio hęc eſt, non regula, quarum hanc ſemper ſequi tuto poſſis. In altero couuenit ratio dialogi & epiſtolæ. Nam ἠθικὸν in vtroque requiritur. Vt igitur in ſermonibus exprimuntur loquentium mores & deteguntur animi: ita in litteris quoque ipſum ſcribentem totum apparere, qualis eſt, oportet; inprimis autem beneuolum; quin hæc eſt natura rei. Vt plurimum enim ſecundum veterem verſum, Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται; quanto magis ex litteris? Sequitur præceptum de magnitudine epiſtolæ. Reſpondeat dictioni: hæc ſit tenuis, illa modica pro negotiis, quæ explicantur. Non naſcatur liber pro epiſtola, qui nihil habeat præter initium epiſtolicum, videlicet ſalutationem, vt χαίρειν ἢ εὖ πράττειν. Cæterum & ſua eſt compoſitio epiſtolæ, non periodica, ſed liberior atque ſolutior. Ambitus ſunt cauſſarum: hîc foret ridicula eorum oſtentatio. Aliena enim eſt à moribus amicorum. Non quod excludantur è litteris omnes periodi, ſed ne crebræ ſint, & quæ ſint, ne productiores. Sunt autem breuiores vnimembres & bimembres. Neque hæ pro periodis à quiuis agnoſcantur, vt quem in vili amictu videas, nō agnoſcas pro patritio. Reliquū eſt περὶ ὕλης. Non enim omnes res propriè conueniunt epiſtolæ, niſi quis contendat,

cuiq; licere, in qua re ipſe verſantur, de ea epiſtolas ſcribere non minus quàm aliud ingenij monumentum condere. Hinc inſcripſerunt aliqui, poterunt item alii, ἐπιστολὰς θεολογικὰς, νομικὰς, ἰατρικὰς, φιλοσοφικὰς, φυσιολογικὰς, κριτικὰς, ne plura dicam genera. Verum audiamus Ariſtotelem, qui cum abdita naturę eruerit, & ad agnoſcendum non ſtupidis, nec inertibus ingenijs propoſuerit; hoc quod in ſenſus pænè ipſos incurrit, non viderit? Vidit autem, & protulit, cum in quadam epiſtola ſcripſit: τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοι. οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν: id eſt, hoc ad te non ſcribo: neque enim conueniret epiſtolæ. Magnam iacturam fecit ἐπιστολικὴ τέχνη amiſſione epiſtolarum huius philoſophi, quarum guſtum habere licet ex pauculis, quæ in manibus ſunt, longè politiſſimæ, & plenæ ſucci ſapientiæ. Quas adhuc Simplicium legiſſe apparet. Mentionem enim earum facit ἐν προλεγομένοις εἰς τὰς κατηγορίας. Affirmat autē in arte ſcribendarum epiſtolarum Ariſtotelem ceteros omnes poſt ſe reliquiſſe. Facit quoq; idem locus ad ea, quæ diximus, quæque dicemus de perſpicuitate, vt neceſſaria ad hoc genus ſcriptionis. Nec non probat comparationem, cum conditione tamen, ſermonum & epiſtolarum: Τὸ δὲ δύνασθαι, inquit, σαφῶς εἰπεῖν, δηλοῖ μάλιστα ὁ τῶν ἐπιστολῶν αὐτοῦ (τοῦ Ἀριστοτέλους δηλονότι) χαρακτὴρ, τὸν ἀνὰ χεῖρας διάλογον, ὃς ἐπιστολαῖς πρέπει, μετ' εὐπρεπείας ἀποτυπούμενος; καὶ οὐδὲ ἔστι τις τῶν συνεγνωσμένων Ἀριστοτέλει περὶ τὸν ἐπιστολικὸν χαρακτῆρα προσόμοιος. Non ſunt igitur reuera epiſtolæ, quibus

σοφισ-

σοφίσματα καὶ φυσιολογίαι explicantur, tum quia carent beneuolentiæ notis, quas lucere in omnibus litterarum partibus cõuenit, tum quia non ſunt expoſitio ſimplicis negotii, ſimplici orationis genere facta. Hæc enim ſunt vniuſcuiuſq; epiſtolæ propria. In primis ornant epiſtolam φιλία καὶ φιλοφρονήσεις, id eſt amicorum inter ſe ſuaues compellationes atq; blanditiæ. Item crebra prouerbia, quæ ſunt condimenta non nimis exquiſita, vti diximus. Non conuenit γνωμολογεῖν, ſiue verba fundere ſapientia. Nec ſententias dicit orator, niſi vbi locus admodum poſtulet. Deniq; hoc nec omnium eſt, nec cuiuſq; temporis, neq; de quacunq; re. ἁρμόττει δὲ, inquit Philoſophus γνωμολογεῖν, ἡλικίᾳ μὲν πρεσβύτερον, περὶ δὲ τούτων, ὧν ἔμπειρός τις ἐστιν. Senibus conuenit ſententias dicere, quorum eſt auctoritas, quod habentur prudentes, quoniam vſu rerum præditi; de ijs autem tantum rebus, in quibus longo vitæ tempore fuerint verſati: de re ruſtica ruſticus, de negotio ciuili ciuis, de republica ſenator, de militia dux aut veteranus. Adoleſcentiorem haudquaquam decet. Itaque idem rectè & diſerté admodum, ὡς τὸ μὲν μὴ τηλικοῦτον ὄντα γνωμολογεῖν, ἀπρεπὲς, ὥσπερ καὶ τὸ μυθολογεῖν. τὸ δὲ, περὶ ὧν ἄπειρος, ἠλίθιον καὶ ἀπαίδευτον. σημεῖον δὲ ἱκανόν. οἱ γὰρ ἀγροῖκοι, μάλιστα γνωμοτύποι εἰσὶ, καὶ ῥᾳδίως ἀποφαίνονται. Qui minor ætate ſententias dicat, indecorè faciat, vt & idem, ſi fabulas inueniat, aut in oratione vſurpet. Qui vero de negotio, quod non habet longo multoque vſu exploratiſſimum, pronunciat, prodit

ſtultitiam ſuam & rude ingenium. Agreſtes enim homines maximè ſolent ſententias dicere, & ſuum de vnaquaque re iudicium temerè & confeſtim aperire. Cum autem ſententiis referſcire litteras non oporteat; vidētur neq; cohortationes eſſe epiſtolarum, quæ tamen ſępe comprehenduntur litteris. Scilicet meræ eſſe γνῶμαι & προτροπαὶ non debent: hæ vero raræ ad æquales rariſſimæ ad ſuperiores, vel nullæ potius, niſi alia res eos quodammodo æquet, vt ſi ſapiens ad potentem ſcribat. Quod ſi quis quid in epiſtola probare velit; oportet eſſe probationes non nimis ſubtiles aut ſublimes, ſed epiſtolicas; cuiuſmodi vſus fuit Ariſtoteles, vt doceret, puſilla oppida non minus eſſe beneficiis afficienda, quā amplas vrbes. Οἱ γὰρ θεοὶ, inquit, ἐν ἀμφοτέροις ἴσοι. ὥστε ἐπεὶ αἱ χάριτες θεαὶ, ἴσαι ἀποκείσονταί σοι παρ' ἀμφοτέραις. Ex iis, quæ diximus, intelligitur, potiſſimum tenui charactere ſcribendas, nec oportere eſſe incomptas ſupina ſcribentis negligentia. Itaque non omnem elegantiam ad epiſtolas conquiremus, ſed nonnihil tamen. Quid enim amicum ſiue φιλικὸν abſque venuſtate? Ex magnifico huc nihil adferemus, niſi ſit ad reges ſcribendum, aut ad reſpublicas. Tum enim elatiores eſſe debent, quòd ratio ſit habenda eius perſonæ, ad quam ſcribimus. Tamen vt meminerimus, nos epiſtolam ſcribere, non opus condere. Ex graui forte nihil ad hanc artem faciat, niſi rariſſimè. Acria enim quid ad epiſtolas, quas docuimus conſtare magna ex parte beneuolentia? Sed dicat quis, expoſtu-

lationes etiam consignari epistolis? Non debent tamen illæ humanitates leges migrare: carere conuitio omni & omnibus contumeliis debent. Qui secus faciat, non egeat legibus politæ artis epistolicæ, sed barbarè viuat & sentiat & scribat, vbi, quemadmodum apud Ætnæos fratres, ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός. Igitur in hoc charactere multum erit elegantis notæ, vel quia amabilia pleraq;, tenuis plurimum. Quare non alieno loco inculcamus hæc præcepta de scribendis epistolis: nec alienum existimo, si quæ de eadem re visa fuerunt summo theologo, viro doctissimo, Gregorio Nazianzeno, subiiciam. Comprehendit autem omnem suam sententiam quadam ad Nicobulum epistola, quam nos omnium primi edidimus, iam ante annos sedecim; postea quoq; vidimus editam in Italia ab Aldo Manutio, Paulli filio. Mecum vero pluribus adhuc annis antè vir Græcè doctissimus & præclarè de Græca lingua meritus, Arnoldus Arlenius Belga communicauerat. Floruerat iuuenis Bononiæ, doctissimis hominibus familiaris & carus. Præter enim quàm, quod Græcorum aliquot scriptorum publicationem fideliter procurarat, in quibus & Iosephus est, ediderat quædam ingenii monumenta non inerudita. Fatum etiam vobis Arlenii narrabo. Ille Bononia iter facturus, si rectè memini, Romam, postridie in via, in tramitibus Apennini, ex equo delapsus, crus fregit, & ægrè Florentiam delatus, eo in loco consedit, vbi & plures annos vixit: tandem ingrauescente ętate

Taurini bonas litteras docuit. Incredibile olim ſtudium poſuerat in emendatione veterum ſcriptorum, quos ego permultos apud ipſum vidi, collatos ſumma diligentia cum manu ſcriptis libris. De illis ipſius laboribus ex eo tempore nihil cognoui. Mihi donabat quandam Libanii orationem pro bonis litteris, & de qua memini, Nazianzeni epiſtolam, non indignam, quam hic quoque conſideremus, quod ex ea fortaſſis aliquid lucis etiam ſuperioribus acceſſerit. Siue autem eam velit Arſenio, ſiue Manutio debere lector: hæc ipſa eſt.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ ΝΙΚΟΒΟΥΛΩ.

Τῶν γραφόντων ἐπιστολὰς, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο αἰτεῖς, οἱ μὲν, μακρότερα γράφουσιν, ἤπερ εἰκός· οἱ δὲ, καὶ λίαν ἐνδεέστερα· καὶ ἀμφότεροι τοῦ μέτρου διαμαρτάνουσιν, ὥσπερ τῶν σκοπῶν οἱ τοξεύοντες, ἄν τε εἴσω πέμπωσιν, ἄν τε ὑπερπέμπωσι. τὸ γὰρ ἀποτυγχάνειν ἴσον, κἂν ἀπὸ τῶν ἐναντίων γίνηται. ἔστι δὲ μέτρον ἐπιστολῶν ἡ χρεία· καὶ οὔτε μακρότερα γραπτέον, οὗ μὴ πολλὰ τὰ πράγματα· οὔτε μικρολογητέον, ἔνθα πολλά. τί γὰρ; ἢ τῇ περσικῇ σχοίνῳ μετρεῖσθαι δεῖ τὴν σοφίαν, ἢ παιδικοῖς πήχεσι, καὶ οὕτως ἀτελῆ γράφειν, ὡς μηδὲ γράφειν; ἀλλὰ μιμεῖσθαι τῶν σκιῶν τὰς μεσημβρινὰς, ἢ τῶν κέντρων τὰς κατὰ πρόσωπον ἀπαντώσας, ὧν συνιζάνει τὰ μήκη, καὶ παραφαίνεται μᾶλλον, ἢ φαίνεται τῶν ἄκρων ἐνὶ γνωριζόμενα; καὶ ἔστιν ὡς ἂν εἴποιμι κυρίως, εἰκασμάτων εἰκάσματα; δέον ἀμφοτέρων φεύγοντα τὴν ἀμετρίαν, τοῦ μέτρου κατατυγχάνειν. περὶ μὲν τῆς συντομίας, ταῦτα γινώσκω. Περὶ δὲ σαφηνείας, ἐκεῖνο γνώριμον, ὅτι χρὴ φεύγοντα τὸ λογοειδὲς ὅσον ἐνδέχεται, μᾶλλον εἰς τὸ λαλικὸν ἀποκλίνειν, καὶ, ἵν' εἴπω συντόμως,

συντόμως, αὕτη τῶν ἐπιστολῶν ἀρίστη, καὶ κάλλιστα ἔχουσα, ἣ ἂν καὶ τὸν ἰδιώτην πείθῃ, καὶ τὸν πεπαιδευμένον· τὸν μὲν, ὡς κατὰ τοὺς πολλοὺς οὖσα, τὸν δὲ, ὡς ὑπὲρ τοὺς πολλούς· καὶ ἡ αὐτόθεν γνώριμος. ὁμοίως γὰρ ἄκαιρον, καὶ γρῖφον νοεῖσθαι, καὶ ἐπιστολὴν ἑρμηνεύεσθαι.

Τρίτον ἐστὶ τῶν ἐπιστολῶν ἡ χάρις· ταύτην δὲ φυλάξομεν, εἰ μήτε παντάπασιν ξηρὰ, καὶ ἄχαρι γράφοιμεν, καὶ ἀκαλλώπιστα, ἀκόσμητά τε, καὶ ἀκόρητα, ὃ δὴ λέγεται· οἷον δὴ γνωμῶν, καὶ παροιμιῶν, καὶ ἀποφθεγμάτων ἐκτός· ἔτι δὲ σκωμμάτων, καὶ αἰνιγμάτων, οἷς ὁ λόγος καταγλυκαίνεται· μήτε λίαν τούτοις φαινοίμεθα καταχρώμενοι. τὸ μὲν γὰρ ἄγροικον, τὸ δὲ ἄπληστον. καὶ τοσαῦτα τούτοις χρηστέον, ὅσα καὶ ταῖς πορφύραις ἐν τοῖς ὑφάσμασι. τρόπους δὲ παραδεξόμεθα μὲν, ὀλίγας δέ· καὶ ταύτας οὐκ ἀναισχύντους. ἀντίθετα δὲ, καὶ πάρισα, καὶ ἰσόκωλα, τοῖς σοφισταῖς ἀπορρίψωμεν. εἰ δέ που καὶ παραλάβοιμεν, ὡς καταπαίζοντες μᾶλλον τοῦτο ποιήσωμεν, ἢ σπουδάζοντες. πέρας τοῦ λόγου, ὅπερ τῶν κομψῶν τινος ἤκουσα περὶ τοῦ ἀετοῦ λέγοντος· ἡνίκα ἐκρίνοντο περὶ βασιλείας οἱ ὄρνιθες, καὶ ἄλλοι ἄλλως ἧκον ἑαυτοὺς κοσμήσαντες, ὅτι ἐκείνου κάλλιστον ἦν, τὸ μὴ οἴεσθαι καλὸν εἶναι. τοῦτο κἂν ταῖς ἐπιστολαῖς μάλιστα τηρητέον, τὸ ἀκαλλώπιστον, καὶ ὅτι ἐγγυτάτω τοῦ κατὰ φύσιν. τοσαῦτά σοι περὶ ἐπιστολῶν, ὡς δι' ἐπιστολῆς παρ' ἡμῶν· καὶ ταῦτα ἴσως οὐ πρὸς ἡμῶν, οἷς τὰ μείζω σπουδάζεται· τὰ ἄλλα δὲ αὐτός τε φιλοπονήσεις εὐμαθὴς ὤν, καὶ οἱ περὶ ταῦτα κομψοὶ διδάξουσιν.

Eruditissimæ huius epistolæ sententiam & ipse conatus sum Latinè reddere, quod fortè non prorsus assecutus fuero, vel de meo iudicio. Neque enim diffiteor, esse in quo hæream.

QVI

QVI epiſtolas ſcribunt, quoniam & hoc petis, eorum alii pluribus verbis ſcribunt, quã conueniat, alii vero etiam ita paucis, vt aliqua deſiderentur. Atq; vtriq; à modo aberrant, quemadmodum à ſcopo ſagittarii, ſiue hi inferius, ſiue altius feriant. Æqualis enim vtraque aberratio, etiamſi à contrariis fiat. Eſt autem epiſtolarum modus, ipſemet vſus. Neque igitur pluribus verbis ſcribantur, vbi non multæ ſunt res, neque pauculis, vbi multæ. An enim metiri ſapientiam decet, aut ſchœno Perſica, aut puerili cubito, & adeo imperfecta ſcribere, vt ne ſcribere quidem videaris? ſed imitari vmbras meridianas, aut centrorum in oculos incurrentes, quarum longitudines conſidunt, & magis viſum noſtrum fallunt, quàm * extremo aliquo cognita appareant, ſuntque, vt commodè loquar, imagines imaginum, cum quod vtrinque immodicum eſt, fugere, & obſeruare modum oporteat. De breuitate ita ſentio. De perſpicuitate, nemo eſt qui neſciat, ſimilitudinem orationum fugiendam eſſe, quantum fieri poteſt, & magis inclinandũ ad ſermonẽ familiarem. Atq; vt vno verbo dicam, hæc epiſtolarum optima eſt, quæ & cuique è vulgo & erudito perſuadeat, quod vult: illi, vt ad captum populi, huic, vt ſupra captum populi facta, ſtatimque intelligatur per ſe. Æquè enim intempeſtiuum foret, griphum intelligi, & ad litteras interprete opus eſſe. Tertium, quod in epiſtolis requiritur, eſt venuſtas; eam aſſequemur, ſi neque prorſus arida & inuenuſta ſcribamus, & incom-

incompta,& inornata,& immunda, vt dicitur, exceptis ſententiis & prouerbiis, & apophthegmatis,præterea dicteriis & ænigmatis, quibus conditur oratio; neque nimium illis abuti videamur. Illud enim eſt ruſticum, hoc ſatietatem parit. Et tantum illis vti oportet,quantum purpuris in textilibus.Figuras autē adſciſcemus paucas,eaſque non impudentes. Oppoſita vero,& æqualia æqualibus relata, & æqualia mēbra ſophiſtis relinquamus. Quod ſi alicubi accipiemus, hoc tanquam ludibundi faciamus, non rem ſeriam agentes. Extremum orationis hoc ſit,quod ex eleganti viro de aquila narrare audiui,cum aues de regno contenderent,& ornauiſſent ſeſe aliæ aliter, in illa hoc fuiſſe pulcherrimum, quod ſe pulchram non opinaretur. Hoc etiam in epiſtolis maximè obſeruandum eſt,vt nihil ibi ſit fuco illitum, omniaque quàm proximè ad naturam accedant. Hæc tibi de epiſtolis, veluti per epiſtolam à nobis habe:ac forſan hæc ad nos minus pertinent, qui grauioribus ſtudiis occupamur. Cetera vero tum ipſe labore tuo erues, cuius docilitas mihi perſpecta eſt, tum qui in iis præſtant, te docebunt.

Annotabimus & ad hanc epiſtolam aliqua, cuius argumentum,ſi ea ſequamur, quæ tradidimus, minus conuenit epiſtolæ: hæc enim doctrina opuſculum deſiderabat. Quod vidit & Nazianzenus. Quare ſe quoque purgat non ſolum de paucitate præceptorum huius artis, ſed hoc quoque nomine, vt opinor, ταῦτα περὶ

ἐπιστολῶν

ἐπιστολῶν, inquiens, ὡς δι' ἐπιστολῆς. Quibus verbis videtur dicere, omnem hanc rem neque epistolæ esse, neque breui epistola omnem posse explicari. Erudit autem studiosum elegantiæ scribendi litteras de tribus potissimum, de magnitudine epistolæ, de perspicuitate, de gratia. Nec quidquam obscuri est in hisce tribus præceptis, aut diuersum ab iis, quæ supra exposuimus: aliquæ fortè partes declarationem postulent: videtur certè postulare vna earum, si modo quid lucis adferre possimus. Primum est de breuitate, quæ videtur aliquibus placuisse, cuius loco probat iustam epistolę magnitudinem. Non enim de magno pluribusúe negotiis ita breuiter scribendum erit, vt qui legat, non intelligat, quid velimus: neque de re parua & plana longam orationem instituemus. Hoc enim ostentatoris foret, aut garruli. Qui alterutrum sequantur; faciunt quod τοξόται minus exercitati, qui cùm habeant sibi certum σκοπὸν propositum, sagittam supra infraue eum mittunt, & ex contrariis æquè aberrant. Magna est vis medii in moribus, in actionibus, in artibus; nec minor in omni oratione. Magna igitur etiam in scriptione epistolarum. Res autem ipsa, de qua agemus, est scribentis quasi scopus; & medii index, & mensura longitudinis. Hoc est, quod Phalereus: τὸ δὲ μέγεθος συνεστάλθω τῆς ἐπιστολῆς. Magno negotio longiorem epistolam, paruo breuiorem destinabimus. Metiri oportet quamque rem sua mensura, quod illustratur similitudine. Sapientiam enim metiemur, neque schœno Per-

no Perſica, neque cubito pueri. πῆχυς eſt è menſuris minoribus, è maximis σχοῖνος. De cubito cuilibet notum: ſchœnos multa ſtadia, immo duos paraſangas continet. Sunt autem ambæ dictiones Perſicæ, docente Athenæo δειπνοσοφ. libro III. παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ποιηταῖς καὶ συγγραφεῦσι τοῖς σφόδρα ἑλληνίζουσιν ἐστὶν εὑρεῖν καὶ Περσικὰ ὀνόματα κείμενα, διὰ τὴν τῆς χρήσεως συνήθειαν, ὡς τοὺς παρασάγγας καὶ τὴν σχοῖνον ἢ τὸν σχοῖνον. μέτρον δ' ἐστὶ τοῦτο ὁδοῦ, μέχρι νῦν οὕτω καλούμενον. Quæ menſura tamen ſit, non indicat; ſed docet Herodotus Εὐτέρπῃ. δύναται δὲ, inquit, ὁ μὲν παρασάγγης τριήκοντα στάδια; ὁ δὲ σχοῖνος μέτρον ἐὸν Αἰγύπτιον, ἑξήκοντα στάδια. Schœnus igitur IIX.M. paſſuum, vel paullo minus duobus miliaribus Germanicis. Μετρεῖν δὲ τὴν σοφίαν σχοίνῳ antè ſcripſerat Callimachus, vt Plutarchus teſtatur ἐν τῷ περὶ φυγῆς, qui neque ſchœnis, neque paraſangis metiendam addit beatitudinem, id eſt neque latifundiis, neque regionibus aut regnis, quorum domini ſæpe longiſſimè abſunt à beata vita, vel ſunt etiam mortalium miſerrimi. Hæc ſi ad locum epiſtolæ minus faciunt, at ſunt non inerudita. Sic autem Plutarchus. Ὅπου γὰρ οὐ φαύλως δοκεῖ λέγειν ὁ καλλίμαχος, τὸ μὴ σχοίνῳ περσίδι τὴν σοφίην; ἦ που τὴν εὐδαιμονίαν σχοίνοις καὶ παρασάγγαις μετροῦντες, ἐὰν νῆσον οἰκῶμεν διακοσίων σταδίων, ἀλλὰ μὴ τεσσάρων, ἡμερῶν ὥσπερ ἡ Σικελία περίπλουν ἔχουσαν, ὀδυρᾶν ἑαυτοὺς καὶ θρηνεῖν ὀφείλομεν ὡς κακοδαιμονοῦντες; τί γὰρ ἡ πλατεῖα χώρα πρὸς τὸν ἄλυπον βίον; οὐκ ἀκούεις τοῦ ταντάλου λέγοντος ἐν τῇ τραγῳδίᾳ;

ἀπείρῳ δὴ ἄρχειν δώδεκα ἡμερῶν ὁδὸν
Βερέκυνθα χῶρον: εἶτα μετ᾽ ὀλίγον λέγοντος:
θυμὸς δέ ποθ᾽ ἁμὸς οὐρανῷ κυρῶν ἄνω,
ἔραζε πίπτει, καί με προσφωνεῖ τάδε.
γίνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν. Aurea omnia, & ad auri potentiæque ſitim reſtinguendam à ſapientibus diuinitus inuenta. Sed hęc de ſchœno & cubitis comparatio plus fortè huic rei non congruit, quàm vt intelligamus, quamque rem ſua menſura metiendam. Sed difficilior nodus eſt in ſimilitudine de vmbris, quẽ alii quoq; relinquunt, & ego ne ope quidem amicorum, qui doctrinam περὶ σκιῶν ad vnguem tenẽt, ſoluero. Cum ſententia conuenit, non oportere breuiora ſcribere, quam res ſit, quod qui faciat, imitetur vmbras meridianas, quæ ipſæ cum toto anno, tum maximè ſolſtitio, ſunt breuioris iis rebus, quarum ſunt vmbræ, quod maximè ibi verum eſt, vbi illa ſcripta ſunt: aut imitetur vmbras gnomonum ad parietem ad oculos noſtros verſas; quòd hæ ſimiliter nos fallant. Sed plura quæret eruditus lector, vt & ipſe quæro: forte & nobis aliquando τὸ ζητούμενον ἁλωτὸν, ſecundum Sophoclem. Sunt autem minimæ vmbrarũ, ſiue curtiſſimæ ſolſtitio, maximè quibus magis erit ſol κατὰ κορυφὴν, εἰκάσματα εἰκασμάτων: eodemque modo puſillæ litteræ de rebus maximis. Alterum caput eſt de perſpicuitate. De hac nihil prætermiſſum fuit antè. Etenim de nota tenui dicta, intelligantur & de nota epiſtolica. Quod iubemur ἀποκλίνειν πρὸς τὸ χαλικὸν; idem eſt, quod de affinitate epiſtolæ & dialogi di-

ctum fuit: & hæc prorſus conueniunt, paullo grauiores debere eſſe litteras, quam ſermo vel in ſcripto dialogo, vel inter eos, qui confabulentur. Ne ſint igitur etiam comicæ, atque hoc minus, quô plus in comœdiis & plebeiæ locutionis, & vilium nugarum, & ſcurrilitatis. Non pertinet autem etiam ad nudam dictionẽ, quòd ait optimam eſſe epiſtolarum, quæ accommodata ſit ad perſuadendum, & plebeium quemq; & doctum. Hic apparet enim, quo genere argumentorum nos vti velit, non exquiſito videlicet, ſed polito tamen. Hæ ſunt ſuperiores ἀποδείξεις ἐπιστολικαὶ. Vltimum de gratia præceptum idem eſt, cum eo, quod docuimus, ex eleganti etiam charactere ad epiſtolam multum accedere. Ἀκόρητα autem ſunt hoc loco ſordida. Ἀκόρητος enim præter ſignificationem notiſſimam, eſt impurus & ſordidus. Vt apud Ariſtophanem Strepſiades, pæne initio νεφελῶν:

ἐμοὶ γὰρ ἦν ἄγροικος ἥδιστος βίος,
εὐρωτιῶν, ἀκόρητος, εἰκῇ κείμενος,
βρύων μελίτταις, καὶ προβάτοις, καὶ στεμφύλοις.

Eſt παρὰ τὸ κορεῖν, verrere ſiue purgare. Si abſint ſordes, ſatis erit mundiciei; ſatis puræ erunt, ſi non impuræ; vel ſi puræ, ſatis elegantes. Quid de ſententiis, & ceteris? Puto dici, non eſſe excludendas, quoniã ſubiicit, (an non de iiſdem?) non eſſe iis abutendum. Verum prius viſæ fuerunt excludi ſententiæ? Non arbitror, ſed τὸ γνωμολογεῖν, ſeu frequens illarum vſurpatio. Prouerbia vero crebra admiſimus: modus hîc antefertur: hoc probat Aldus: nos quo-

que subscribemus huic sentẽtiæ, nec puto aliud voluisse alterum, quòd similia exempla apud priscos non exstant: non voluit certè conflari maximam partem litterarum oportere ex prouerbiis. Monebo vnũ παρέργως: pauci hodie rectè aspergũt aliquid litteris, vel ex Homero, vel ex Euripide, vel ex aliis myrotheciis Græciæ. Putidum est hic eadem sæpe vsurpare, quæ alii; non satis πεπαιδευμένου, nullis prorsus vti, aut nullis aliis. Ἀποφθεγμάτων καὶ αἰνιγμάτων fortè erit vsus rarissimus, aut certè non minus rarus, quam ceterorum. Σκώμματα intellige hic salsè dicta, immo vrbanos sales. Vbi ait: τὸ δ' ἄπληστον, habui rationem sententiæ, quam ego viderem. Vult enim hoc, ni fallor, vt aromata in omnibus cibis fastidium pariunt, ita illa sine modo vsurpata satietatem legenti, non voluptaté. Igitur comparat ea iterum cum purpura, quæ togæ intexitur: non toga è purpura consuitur. Cum regum vero purpura non scitè comparabitur epistola. Namque epistolam satis est esse puritate elegantem, non adscitis aliunde ornamentis, sed natura sua, vt est in fabella de aquila. Sic Tullius de iis, quæ Atticus scripserat: Quamquam tua illa, (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt; sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant, & vt mulieres ideo bene olere, quod nihil olebant, videbantur. Hoc autem fuisse iactatum, veluti prouerbio Mostellaria Plauti videtur indicare. Quia æcastor, inquit ancilla, mulier rectè olet, vbi nihil olet.

Nam

Nam istæc veteres, quæ se vnguentis vnctitant, interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Vbi sese sudor cum vnguentis consociauit, ilico
Itidem olent, quasi cum vnà multa iura confudit coquos;
Quid oleant nescias, nisi id vnum, vt malè olere intelligas.

Nec ab his dissimile est, quod de bellariis Varro satyra Menippea scripsit, vt refertur apud Macrobiũ. Bellaria ea maximè sunt mellita, quę mellita non sunt. Sed ad Mostellariam redeo, in qua quod eodem loco dicitur: *Pulchra mulier, nuda erit, quàm purpurata, pulchrior*: id in epistolam moratam conuenit. Moratæ enim mundicies facile superabit, quidquid addi aut illini queat ornamentorum.

CAP. LVI.

De ariditate orationis.

SEQVITVR, *vt de vicina, re tamen ipsa ei contraria nota dicamus, quæ arida dicitur. Hæc ariditas siue ieiunitas est itidem in tribus.* Primum *in sententia, vt, qui de Xerxe dixit: Xerxes descendit cum omnibus suis, quod de priuato, ducente saltem familiam paucorum seruulorum, etiam diceretur. Rem igitur supra modũ extenuauit, cum diceret pro hoc:* cum vniuersa Asia: *cum omnibus suis.* In locutione *aridum efficitur, si quis rem magnam minutis verbis exponat, quemadmodũ ille Gadareus de nauali prælio ad Salaminem scripsit. Item de Phalaride tyranno: Cuiusmodi enim Phalaris molestiis*

afficiebat] Agrigentinos. Nam ita tenuiter neq; de tanto nauali prælio, neq; de tyranni sæuitia loquendum erat, neq; vtendum molestandi verbo, sed magnis, & rei, de qua agebatur, congruentibus. Deniq; in compositione *nascitur, si crebra sint incisa, quale est initium aphorismorũ Hippocratis:* Vita breuis: ars longa: occasio acuta: experientia lubrica. *Aut si in re magnæ recisum sit membrum, neq; expletum, vt qui Aristidem accusauit, quod non venisset in prælium ad Salaminem:* atqui *inquit*, vltro Ceres venit & in prælio à nostris partibus stetit: Aristides autem non. *Nam hæc recisio & indecora est & intempestiua: neq; tamen non locus est eiusmodi recisionibus siue abruptionibus. Igitur aliquando etiam iis vtemur. Quod si enim qua frigida sit sententia, ob rei, quæ exponitur turpedinem, ibi conueniet recisa compositio, sententiæ talis licentiam abolens siue tegens.*

Σχόλιον. Infra tenuem notam est, etsi propinqua & similis, attenuatior quædam, & prorsus arida, humi prostrata, nihil virium habens, & nihil natiui succi. Eam licet deprehendere, primùm in sententia. Aridam enim sententiam vsurpauit, qui de Xerxis expeditione in Græciam sic scripsit: Κατέβαινεν ὁ Ξέρξης μετὰ πάντων τῶν ἑαυτοῦ. In dictione: quemadmodum Gadareus locutus fuit de Phalaride tyranno: Ἀτὰρ γὰρ ὁ Φάλαρις ἠνόχλει τοῖς Ἀκραγαντίνοις: ἐνοχλεῖν enim est verbis aut re pusilla molestiam creare, quod non respondet magnitudini crudelitatis tyranni. Si quis studio sic loquatur, caussæ suæ seruiens, visus fuerit vti μειώσει. Deniq; in compositione, si frequentia & minuta sint incisa, aut institu-

instituti ambitus pars amputatione deformetur, vt accusator Aristidis scripsit: Ἀλλ' αὐτόκλητος ἡ μὲν δημήτηρ ἦλθε, καὶ συνεναυμάχει, Ἀριστείδης δὲ οὔ. Talis concisio Sallustio familiaris est, quam vitare iubet in dicendo Fabius, etsi eam in historico non reprehendit. Vitanda etiam, inquit, illa Sullustiana, (quanquam in ipso virtutis locum obtinet) breuitas, & abruptum sermonis genus. Ceterum sæpe sensus frigidum quiddam est, inquit Phalereus, quod nominatur κακόζηλον: & compositio recisa, ipsius sententiæ licentiam occulit: cumq; sit vitium hoc è cacozelia propter rem, & ex arido propter compositionem, concreto quoq; nomine appellatur ξηροκακοζηλία. Sed κακόζηλον, id est, mala affectatio, per omne dicendi genus peccat, inquit Fabius. Nam & tumida, & exilia, & prædulcia, & abundantia, & arcessita, & exultantia, sub idem nomen cadunt. Deniq; κακόζηλον vocatur, quidquid est vltra virtutem, quoties ingenium iudicio caret, & specie boni fallitur, omnium in eloquentia vitiorum pessimum. Nam cetera cum vitentur, hoc petitur. Est autem totum in elocutione. Hæc nobilis ille dicendi magister: plura Hermogenes.

CAP. LVII.

De charactere graui.

RELIQVA *est quarta dicendi nota, grauis videlicet, de qua quæ dici poßint, patet ex superioribus. Atq; hæc ipsa versatur itidem in tribus, in quibus superiores.*

Primum enim res quædam per ſe ipſas graues ſunt, vt qui eas dicunt, graues videantur, etiamſi non grauiter dicant, quemadmodum Theopompus, referens tibicinas in Piræo, & lupanaria, & canentes tibiis, itemque voce, & ſaltantes: quæ grauia ſunt omnia: ea etſi languidè quis dixerit, tamen grauia videntur.

Σχόλιον. Poſtremus χαρακτήρων eſt δεινός. Alia eſt δεινότης, δοξαστικοῦ μέρος, acumen, ni fallor, altera eiuſdem pars ipſa prudentia. De illa eſt in ſcholio Homerico: δεινότης ἡ ἐπ' ἀγαθῷ, φρόνησιν, ὅσα καὶ μήτηρ, ἀπογεννᾷ. Ita prudentia, illa non eſt, vt & philoſophus ait, ſed non abſque illa. Sed miſſa hac ſignificatione, & aliis huc non pertinentibus, περὶ δεινότητος ῥητορικῆς agamus; neque tamen de omni. In genere enim dicitur δεινὸς ῥήτωρ ὁ ἐπιδέξιος λέγειν ἢ δυνάμει ῥητορικῇ χρῆσθαι. Hic δεινὸς χαρακτὴρ eſt nota grauis, acris, vehemens: quæ pondus habet, & vrget & premit. Primum res quædam ſunt graues, vt cum dicit Theopompus, τὰς ἐν τῷ Πειραιεῖ αὐλητρίας, καὶ τὰ πορνεῖα, καὶ τοὺς αὐλοῦντας, καὶ ᾄδοντας, καὶ ἀρχουμένους, quæ nomina etſi ſunt mollia, nec acriter dicta, tamen orator propter res videtur grauis, & oratio grauis, non exquiſitè iudicantibus. Namque vt huic notæ ſit conſentanea oratio, non ipſum ſolum negotium, quod expoſuimus, ſed etiam elocutionem oportet eſſe grauem, tum quod ad dictionem, tum quod ad compoſitionem.

CAP.

CAP. LVIII.

Quomodo ex figuris oriatur grauitas.

SECVNDVM *est quemadmodum ex elocutione siue ex figuris oriatur grauitas.* Ac primum ex omissione, *vt apud Demosthenem III. Philippica: Olynthum & Methonem, & Aponiam, & triginta duo oppida Thraciæ omitto. In his etiam quæ voluit, dixit omnia, etsi ea se præterire ait, quasi grauiora habeat, quæ diceret & acerbiora. Sic M. Tullius Philippica VII. Cuius vt omittam innumerabilia scelera vrbani consulatus, in quo pecuniam maximam publicam dißipauit, exules sine lege restituit, vectigalia vendidit, prouincias de pop. Romani imperio sustulit, regna addixit pecunia, leges ciuitati per vim imposuit, armis aut obsedit, aut exclusit senatum: Vt hæc, inquam, omittam, &c.*

Secundo reticentia, *cuius antè quoque meminimus, iisdem moribus affinis, grauiorem quoque efficit orationem.*

Tertio assumatur. *item figura sententiæ ad grauitatem, quæ prosopopœia dicitur, vt: Putate vobis maiores obiicere & hæc dicere: aut Græciam, aut patriam sumpta forma muliebri: quemadmodum Plato in oratione funebri:* O filij, quod bonis parentibus orti estis: *vbi non ex propria, sed ex parentum persona loquitur. Apparet enim hæc multo euidentiora & grauiora esse vt personarum, quæ introductæ sunt: quin potius res dramata fiunt, vt res coràm agi videantur. Hæ formæ & figuræ sententiarum in hoc genere sumi poßint, vt diximus. Hæc enim exempli loco tradita voluimus.*

Acce-

Accedimus *ad figuras dictionis, quas adhuc magis variè licet seligere, & hoc pacto orationem grauiorem reddere.* Primum enim duplicatione, *vt Æschines in orationem contra Ctesiphontem : Thebæ autem Thebæ, ciuitas vicina, è media Græcia abrepta est. Iteratum enim verbum grauitatem efficit. Sic Demosthenes pro Corona: Malum est, Athenienses, malum sycophanta semper, & ab omni parte inuidum, & ad omnes accusationes intentum. Et M. Tullius Philip: 4: Laudo, laudo vos, Quirites, cum gratißimis animis prosequimini nomen clarißimi adolescentis.* Secundo ex reiteratione, *quæ anaphora dicitur : vt Cicero ad Atticum: Cneus autem noster, ô rem miseram & incredibilem, vt totus iacet? non animus est, non consilium, non copiæ, non diligentia. Hunc locum tria simul ornant & accuratiorem faciunt, exclamatio, admiratio, anaphora. Sic & Æschines:* Contra te ipsum vocas, contra leges vocas, contra populum vocas. *Fortaßis anaphora dicta est, quia idem verbum refertur ad idem principium. Est & hic asyndeton. sine coniunctionibus enim dictæ sunt. Denique idem finis est ob terminationem verbi quoque sæpius iterati. Atque ita grauitas ex tribus coaceruata est. Quod si autem quis ita dixerit : Contra te ipsum, & leges, & populum vocas, vna cum figuris sustulerit grauitatem, neque perinde elegans erit oratio.* Tertiò *sciendum est, dissolutionem omnium maximè opificem esse grauitatis, vt Demosthenes in oratione de falsa legatione : Ambulat per forum, buccis inflatis, sublatis superciliis, incedens instar Pythoclis. Si enim hæc duo coniunctionibus copulata sint, mittiora erunt. Sic Cicero in Antonios : His vos taterrimis fratribus*

portas aperietis? hos vnquam in vrbem recipietis? non, tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo Romano conspirante, Italia tota ad libertatem recuperandam excitata, deorum immortalium beneficio vtemini? Et paullo antè: Vastantur agri, diripiuntur villæ, matresfamiliæ, virgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur. Quartò *sumi item potest climax, quam gradationem vocant, quali vsus est Demosthenes pro Ctesiphonte: cum hæc & his similia dixissem, descendi: approbantibus autem vniuersis, neque vllo quidquam contradicente: neq; ego hoc dixi, neq; item scripsi, neq; legationem obiui, neque persuasi Thebanis. Hoc in loco Halicarnasseus elegantiam quoque ostendit, quæ euanesceret, quocunque modo alio hæc exponerentur. Fermè autem similis est oratio maiora supra maiora collocanti. Quod si vero quis hæc ita dicat: Hæc ego cum dixissem atque scripsissem, legationem obii atque persuasi Thebanis, narrationem tantum, nihil autem graue dixerit. Vt in vniuersum dicam, figuræ dictionis & actionem & certamen suppeditant dicenti, inprimisque dissolutum, hoc est, cum illæ, tum hoc præcipuè parit vehementiam siue grauitatem. Ac de vtriusque generis figuris hæc tradita sint. Nunc ostendemus etiam, quæ dictiones præterea ad grauitatem faciant. Sumantur igitur quæcunque in magnifica nota; verum non ad eundem finem. Nam translatio seruit (vt in superioribus perspeximus) etiam magnificæ & eleganti notæ, non minus, quàm graui, prout ab ipsa re ducta fuerit. Primum enim transferendo licet grauiora facere, vt hoc Demosthenis pro Ctesiphonte: Pythoni ferocienti & multo ruenti contra vos. Vbi oratio petita à torrente acriorem orationem facit.*

facit. Deinde grauiorem quoque orationem feceris imaginibus; vt hoc item Demosthenis ex eadem oratione: Hoc plebiscitum fecit, vt tunc imminens ciuitati periculum, veluti nimbus, præteriret. Sic Cicero auxilio harum imaginum res atrociores reddidit, vt cum pro sexto Roscio inquit: Quem tu è matrimonio, tanquam è naufragio, nudum expulisti. Item Philippica XII: An is non reddet, qui domini patrimonium circumplexus, quasi thesaurum draco, Pompeii seruus, libertus Cæsaris, agri Lucani possessiones occupauit? Sed comparationes grauitati minimè conueniunt propter magnitudinem, vt hoc Xenophontis è primo Cyripædiæ de ipso Cyro: Quemadmodum generosus canis, rudis adhuc, temerè in aprum fertur: in hoc enim elegantia apparet, & exquisita explicatio. Verum grauitas acre quiddam requirit & concisum, & cominus ferientibus similis est. Tertio nascitur quoque ex composito nomine grauitas, quemadmodum & consuetudo Græci sermonis multa huiusmodi habet, & apud oratores vtique multa talia sunt. Latini sermonis videtur esse diuersa ratio, in quo huius generis exempla reperias rarius, præterquam apud comicos. Quartum est, vt enitamur nominibus vti, quæ rebus conueniant, vt de vi irrumpere, de dolo irrepere, de celeritate aduolare, de tarditate obrepere & prorepere. Quinto, Elatio non solum magnitudinem facit, sed etiam grauitatem, vt Demosthenes de ementita legatione: Non dicere oportet, Æschines, manus intus habentem, sed legationem obire, manus intus habentem. Sic & hoc eiusdem pro Ctesiphonte: Verum ille, qui Eubœam suæ ditionis facit: non enim, vt grandem orationem faceret, ita insurrexit, sed vt grauem, id est vehementem. Fit autem hoc, cum illo ipso tempore, quo sic insurgimus,

mus, quem accusauerimus. Illic enim Æschinem; hic Philippum accusat. Sexto etiam graue est; si interrogans auditores, quædam dicas, neq; tamen enuncies, sed auditori aliquid in medio relinquas, vt in loco Demosthenis paullo antè adducto. Verum ille, qui Eubœam suæ ditionis facit, & castellum, vnde adoriatur Atticam, ædificat, vtrum cum hæc faceret, iniuriam inferebat, & pacem soluebat, an non? tamquam in dubium enim auditorem vocat, qui iam quasi conuictus esse, & nihil ad respondendum habere videatur. Quod si hæc sic mutasset; iniuria afficiebat, & soluebat pacem; disertè visus fuisset docere, non etiam conuincere. Huius igitur generis interrogatio vrget auditorem, & assentiri cogit, & quasi constrictum tenet. Exempla non minus obuia sunt apud M. Tullium: cuiusmodi est hoc pro Archia: Quid enim horum infirmari Gracche potest? Heracleæ ne eum adscriptum negabis? Septimo, quæ vocatur commoratio est dictio, maior re, & quædam species amplificationis, additq; orationi non solum elegantiæ aliquid, sed etiam magnificentiæ; neq; non insuper ipsa confert ad grauitatem. Exemplo sit locus Demosthenis de falsa legatione: Morbus enim grauis in Græciam incidit, & difficilis, ad quem tollendum singulari quadam fortuna, & vestræ diligentia opus sit. Quod si orator paucis verbis dixisset, morbum grauem incidisse in Græciam, omissis sequentibus; non foret ita vehemens, seu grauis oratio. Octauo fortasse quoque qui euphemismus dicitur, habeat aliquid grauitatis, & qui res odiosas bonis verbis edit, & impia item facta piis nominibus appellat: qnemadmodum qui Victorias aureas conflari iubebat, eaq; pecunia ad bellum vti, non ita locutus est temerè: percutiamus Victorias ad bellum: odiosum enim hoc fuisset, & fuisset ille visus illu-

dere

dere deabus; sed bonis verbis dixit: vtemur victoriis ad bellum: cum enim sic dicitur, videtur ille non constaturus Victorias, sed sibi socias belli facere. Denique Demadea dicta licet propriam & absurdam rationem habere videantur, grauia sunt. Eorum enim grauitas seu vehementia oritur ex emphasibus, ac quodam assumpto allegorico, & quod tertium est, ex hyperbole. Apparet igitur peregrinum esse hunc modum & acrem. Cuiusmodi hoc est: Non *mortuus est Alexander, Athenienses: odoraretur enim orbis vniuersus cadauer. Nam quod vsus est odorandi verbo pro sentiendi, habet simul & hyperbolen. Sentire autem vniuersum orbem, declarat opes Alexandri. Ac simul hæc oratio habet quiddam ad consternandum, coaceruatum è tribus. Omnis autem consternatio acre quiddam est, quoniam terrorem incutit. Eiusmodi generis hoc quoque est nobilis oratoris Hyperidæ, qui cum censuisset, vt inquilini ciues Athenienses fierent, serui libertate donarentur, tenera ætas & mulieres in Piræeum amandarentur; de hac lege, tam noua, prorsusque aduersante vniuerso iuri ciuitatis sese purgans, inquit:* Hoc *plebiscitum non ego scripsi, sed bellum, Alexandri hasta scribens. Hic apparet, quam non voluntate sua, sed necessitate orator hoc consilium, quod plebiscito explicantur, dederit. Item hæc vox Leosthenis, qua ostendit, non ita terribiles esse Alexandri copias ipso mortuo. Similis est, inquit, Macedonum exercitus, postquam Alexandrum amisit, Cyclopi effosso oculo. Et alio loco ita de infractis viribus Græciæ, vbi eum anu ipsam comparat:* Non*, inquit, maiorum ætate in classe præliatricem, sed vetulam sandalia indutam & sorbentem ptisana. Nam quod vetulam appellat, ex obscuritate erutum interpretatur, infirmam*

& exilem iam, ac simul patefaciens eius imbecillitatem hyperbolicè. Cæterum hoc, sorbentem ptisana addidit, quòd diuisione carnium & epulis occupata disperderet pecuniam militarem. De Demadea igitur grauitate hæc sufficiant, etsi ea habet aliquid lubricum, quodque imitari non admodum facilè possis. In ea namque forma inest poëticum quiddam, siquidem poëticum est allegoria, & hyperbole & emphasis. Poëticum autem tale, quod mixtum sit comœdia.

Σχόλιον. Visum mihi fuit secundo loco de figuris dicere, quibus tamen etiam compositionem variari, me non fugit. σχημάτων primum est παράλειψις, omissio, siue omissionis simulatio, cum videri volunt silentio præterire, quæ vel maximè dicunt, vel si non pluribus verbis explicant, tangunt tamen, vt vehementior sit oratio, quæ si produceretur, ponderis minus esset habitura. Locus Demosthenis hic est. Philippica III. Ὄλυνθον μὲν δὴ καὶ Μεθώνην, καὶ Ἀπολλωνίαν, καὶ δύο καὶ τριάκοντα πόλεις, τὰς ἐπὶ Θρᾴκης, ἐῶ. Et aliquanto superius: Καὶ πάνθ' ὅσα τοιαῦτ' ἂν ἔχοιμι διεξελθεῖν παραλείψω. Idem pro Ctesiphonte. Μυρία τοίνυν ἕτερα, εἰπεῖν ἔχων, παραλείπω, ναυμαχίας, ἐξόδους, πεζὰς στρατείας καὶ πάλαι γενομένας, καὶ νῦν ἐφ' ἡμῶν αὐτῶν. De reticentia, quæ est ἀποσιώπησις, antè diximus: & hæc acriorem orationem facit. Item προσωποποιΐα, personæ fictio. Vnus est modus, vbi ficta persona introducitur, vt Fama à Virgilio, Fames ab Ouidio. Hic non est figura, sed pars argumenti poëtici, inquit Scaliger. Hæc igitur prosopopœia est fictio personæ, vel fictæ, vel mortuæ, vel

absentis, vel præsentis, nec tum tamen loquentis, quæ te quasi coram obiurget, aut moneat, aut doceat, aut quiduis dicat: vel est μίμησις non loquentis, ac si ipsa verbis suis agat. De hoc genere Quinctilianus: Illa adhuc audaciora, & maiorum, vt Cicero existimat, laterum, fictiones personarum, quæ προσωποποιΐαι dicuntur. Mirificè namq; cum variant orationem, tum excitant. His & aduersariorum cogitationes, veluti secum loquentium protrahimus; quæ tamen ita demum à fide non abhorrent, si ea locutos finxerimus, quæ cogitasse eos non sit absurdum; & nostros cum aliis sermones, & aliorum interse credibiliter producimus; & suadendo, obiurgando, quærendo, laudando, miserando, personas idoneas damus. Quin deducere deos in hoc genere dicendi, & inferos excitare, concessum est. Vrbes etiam populique vocem accipiunt. Vbi excitare ipsas orationem ait, acriorem facere agnoscit. Exemplum sit: Δόξαιτ' ἂν ὑμῖν τῶν προγόνων ὀνειδίζειν καὶ λέγειν τάδε τινά. Locus Platonis è Menexeno hic est, quasi lugentium patres sic alloqnantur filios: Ω παῖδες, ὅτι μὲν ἐστὲ πατέρων ἀγαθῶν, αὐτὸ μηνύει τὸ παρόν. Æschines in extremo orationis contra Ctesiphontem, ipse quoque προσωποποιεῖ, Solonem, Aristidem, Themistoclem, Platæenses introducens, simulque, non quæ dicerent, sed dicere illi possent, referens. Sunt igitur variæ rationes prosopopœiarum. Sequuntur figuræ dictionis, quæ grauitatem faciunt. Primùm ἀναδίπλωσις, duplicatio, est iteratio vocis, statim subiens prio-

priorem, familiaris tragicis, cuius vſus eſt in magnis affectibus, vt vtar verbis Scaligeri. Vt Euripides Medea. οἴκτειρον, οἴκτειρόν με, τὴν δυσδαίμονα. Æſchines contra Cteſiphontem: Θῆβαι δὴ, Θῆβαι, πόλις ἀστυγείτων, ἐκ μέσης τῆς ἑλλάδος ἀνήρπασται. Sic Demoſthenes, Philippica IV. Ἀνάγκη γὰρ, ἀνάγκη, πολλὰ λυπηρὰ ἐκ τοῦ πολέμου γίγνεσθαι. Idem pro corona: Πονηρὸν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πονηρὸν ὁ συκοφάντης ἀεὶ, καὶ πανταχόθεν βάσκανον, καὶ φιλαίτιον. Etiam ad Atticum ſcribens hoc πάθει vtitur Tullius? Occidimus; occidimus, Attice, poſteaquam vnum, quo tenebamur, amiſimus. Secunda eſt ἀναφορά. Locus Æſchinis: Ἐπὶ σαυτὸν καλεῖς: ἐπὶ τοὺς νόμους καλεῖς; ἐπὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς: in quo confluunt, ἀναφορὰ, ἀσύνδετον, καὶ ὁμοιοτέλευτον. Quod τρίκωλον inſuper hoc cum cæteris prædicat Dionyſius. Τί δὲ δὴ τὸ παρ' Αἰσχίνῃ λεγόμενον τουτί; inquit, verba oratoris ſubiiciens. Τρίκωλον ἐν τοῖς πάνυ ἐπαινουμένον, οὐχὶ τῆς ἰδέας ἔχεται; ὃ γὰρ οἷόν τε ἦν ἑνὶ κώλῳ περιληφθῆναι τόνδε τὸν τρόπον: ἐπὶ σεαυτὸν καὶ τοὺς νόμους καὶ τὴν δημοκρατίαν καλεῖς; τοῦτο εἰς τρία διῄρηται, τῆς αὐτῆς λέξεως, οὐ τοῦ ἀναγκαίου ἕνεκα, τοῦ δὲ ἡδίω ποιῆσαι τὴν ἁρμονίαν, πολλάκις τεθείσης, καὶ προσέσει πάθος τῷ λόγῳ. Cum igitur hic ſit πάθος, eſt & δεινότης. Sic Xenophon ἀπομνημονευμάτων Δ. vbi potiſſimum ſeruit elegantiæ. Εἰ παύσονται μὲν οἱ δικασταὶ δίχα ψηφιζόμενοι, παύσονται δὲ οἱ πολῖται περὶ τῶν δικαίων ἀντιλέγοντές τε καὶ στασιάζοντες, παύσονται δὲ αἱ πόλεις διαφερόμεναι περὶ τῶν δικαίων, καὶ πολεμοῦσαι. Sed & antè tradidimus, anaphoram elegantiæ quoque ſeruire. Tertia eſt διάλυσις, quam vocat ἐργά-

cat ἐργά-

cat ἐργάτην, opificem acris orationis. Demosthenes ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας de Æſchine: πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς τὰς γνάθους φυσῶν, τὰς ὀφρῦς ἐπηρκὼς, ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ. Præter ἀσυνδέτων καὶ διάλυσιν eſt hic euidentia, quando ipſum hominem ob oculos ponit, dum per forum ingreditur, inflantem buccas, attollentem ſupercilia, imitantem greſſus Pythoclis. Horum & hoc euidentius, quod cum Pythocle potius comparat, quàm magnis ingreſſum paſſibus dicat. Sunt & paria inciſa, ſed ita, vt ſequens ſemper acceſſione vnius ſyllabæ ſuperet antecedens. Sequitur κλίμαξ, gradatio, quam Fabius ait rariorem eſſe debere, quòd apertiorem habet artem & magis affectatam. Exemplum præter noſtrum, de quo poſtea, ſubiicit: Africano virtutem induſtria, virtus gloriam, gloria æmulationem comparauit. Et Calui: Non ergo magis pecuniarum repetundarum, quàm maieſtatis, neq; maieſtatis magis, quàm legis Plautiæ, neque Plautiæ legis magis, quàm omnium legum iudicia perierunt. Hæc exempla huius figuræ rationem & vim ſatis indicant. Quarto ad Herennium libro ſic definitur. Gradatio eſt, in qua non antè ad conſequens verbum deſcenditur, quàm ad ſuperius conſcenſum eſt, hoc modo: Nam quæ reliqua ſpes manet libertatis, ſi illis & quod libet licet, & quod licet, poſſunt, & quod poſſunt, audent, & quod audent, faciunt: & quod faciunt, vobis moleſtum non eſt? Scaliger ſcalam interpretatur, nec poterat

quiſ-

quisquam rectius: rectius equidem sic, quàm gradationem. Nam & significat scalam, & est scala orationis, in qua sunt gradus, plures, pauciores, vt res videbitur postulare. Vocauit idem & concatenationem, quòd quemadmodum medius annulus annulos, vtrinq; singulum, cõtinet, ita idem verbum connectit inferiora superioribus. Totidem enim verbis definit hanc figuram, quam haud multum grauitatis præ se ferre, nec ea vsum vspiam Virgilium affirmat. Sed videamus locum Demosthenis, ἐκ τοῦ περὶ στεφάνου. Ταῦτα δὲ παραπλήσια τούτοις εἰπὼν κατέβην. συνεπαινεσάντων δὲ πάντων, καὶ οὐδενὸς εἰπόντος ἐναντίον οὐδὲν, οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ. οὐδὲ ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ· οὐδὲ ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους. ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς διὰ πάντων ἄχρι τῆς τελευτῆς διεξῆλθον, καὶ ἔδωκα ἐμαυτὸν ὑμῖν, ἁπλῶς εἰς τοὺς περιεστηκότας τῇ πόλει κινδύνους. Quo loco, vt exemplo κλίμακος, præter Demetrium, vtuntur, scriptor librorum ad Herennium, Quinctilianus, Halicarnasseus & Hermogenes. In Fabio pars, in qua gradatio, sic Latinè expressa est. Nec hæc dixi quidem, sed nec scripsi: nec scripsi quidem, sed nec obii legationem: nec obii quidem, sed nec persuasi Thebanis. Primùm, scholiastes κλιμακωτὸν σχῆμα indicat. Halicarnasseus, cum docuisset, ὅτι οὐκ αὐτὸ δύναται ποιεῖν τὸ αὐτὸ κῶλον οὕτω σχηματισθὲν; ἢ οὕτως, exempli caussa hunc locum profert & ornat: εἰ τοῦτον, inquit, ἐξήνεγκε τὸν τρόπον ὁ Δημοσθένης τὴν λέξιν ταύτην, ταῦτα εἰπὼν ἔγραψα, γράψας δ᾽ ἐπρέσβευσα, πρεσβεύσας δ᾽ ἔπεισα Θηβαίους, ἆρ᾽ οὕτως ἂν συνέκειτο

χαριέντως, ὡς νῦν σύγκειται; καὶ οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δέ; οὐδ' ἔγραψα μέν, οὐκ ἐπρέσβευσα δέ; οὐδ' ἐπρέσβευσα μέν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θηβαίους. Quod hic de ornatu contendit, & probat; id non minus ita se habet de grauitate. Si enim illam dissolutionem quis vsurpet, vim orationis etiam exciderit. Elegantiam vero etiam commendat & euidentiam huius loci Hermogenes, etsi fatetur apud oratorem hanc figuram omnium rarissimè reperiri, atque adeo vix semel atque iterum. Ἔτι, inquit, τῶν ἐπιφανῶν καλλωπιζόντων ἐστὶ μετὰ ἐναργείας, καὶ τὸ κλιμακωτὸν καλούμενον σχῆμα, ὃ δὴ σπάνιον παρὰ τῷ ῥήτορι, μᾶλλον δὲ οὐδὲ σπάνιον, ἀλλ' ἅπαξ, ἢ δὶς εἰρημένον. Ἔστι δὲ οὐδὲν ἄλλ', ἢ πλεονάζουσα ἀναστροφή. Cum vero omnes figuræ dictionis seruiant actioni & certamini, tum maximè dictio dissoluta. Sic enim ἐσχηματισμένοις nisi orator vocem, vultum, latera addat, pereunt? quæ si non nisi legantur, languescit omnis oratio. Accedamus ad dictiones: primùm occurrunt, quæ magnificum characterem decent: etsi hic alius finis proponitur: primæ sunt translationes, vt quod Demosthenes dixit de Pythone, quem locum supra satis accuratè declarauimus. Valent quoque ad grauitatem imagines, vt ex eadem oratione videre est, vbi orator ait: τοῦτο τὸ ψήφισμα τὸν τότ' ἐπιόντα τῇ πόλει κίνδυνον παρελθεῖν ἐποίησεν, ὥσπερ νέφος. Sic Xenophon ἑλληνικῶν Δ. ἄλλοτε ἄλλη τῆς χώρας ἐπῄει, ὥσπερ νομάδες. Non autem vt imagines, ita comparationes huc faciunt. Hæ enim graui chara-

cteri

ꝯteri prorſus non conueniunt: nec cauſſam difficile eſt perſpicere è ſuperioribus. De vtraque autem & earum differentia ſupra ſatis docuimus. Compoſita item faciunt orationem grauem, non quæ antè repudiauimus, vt ex Pacuuio, Nerei Repandiroſtrum incuruiceruicum pecus, verum, quæ vſus linguæ iunxit, aut ipſe orator ita, vt ille iunxiſſe videatur, qualia ſunt Græcis μυρία; vt χαμαιτύπη, περιπλήξ, ὀνιόφλυξ, θερασύδειλος, ἰσχυρογνωμοσύνη. Herodotus, Θαλεία: Εἰ μέν νυν μαθὼν ταῦτα ὁ Καμβύσης ἐγνωσιμάχεε. γνωσιμαχεῖν autem, vt ζυγομαχεῖν. Atque hac lege compoſita ſimul ad magnificum, elegantem, & acrem characterem confecerunt. Cæterum, vt conuenientia ſint, hoc quoque ad grauitatem pertinet: quod tamen in omni characteri religiosè ſeruandum putarim. De primis duobus non dubito: in tenui autem ſi τοῦτο τὸ πρέπον ſæpe negligas, non humilem ſolum, ſed ſordidam etiam orationem feceris. Sunt autem, vt quod vi quis fecerit ſimulque callide, διεβιβάσατο: quod vi apertè, ſine conſilio, ἐξέκοψεν, ἐξεῖλεν: quod fraude & clàm, ἐτρύπησε, διέφυγεν. Sed διαβιβάζειν etiam ſignificat ſimpliciter traducere, vt in hiſtoriis, στρατὸν διαβιβάζειν. τρυπᾷν propriè eſt terebrare: translatè erit veteratorem agere. τρύπανον enim etiam pro veteratore vſurpatum auctor eſt ſcholiaſtes Ariſtophanis, explicans conuitium, τρύμη. τρύμη, inquit, ὁ περιτετρυμμένος ἐν τοῖς πράγμασιν, ὃν ἡμεῖς τρύπανον καλοῦμεν. διαφυγεῖν furtim ſibi fuga conſulere. Porro elationem vocat ἐξαίρεσθαι, quod

 intelligo

intelligo de verbis, & quibuſdam amplificationibus. Etſi enim hæ ſunt primùm magnificæ notæ: tamen quid obſtat, quo minus & huic aliquæ ſeruiant? Nam quod dicit Demoſthenes in Æſchinem: οὐ λέγειν εἴσω τὴν χεῖρα ἔχοντα δεῖ Αἰσχίνη, ἀλλὰ πρεσβεύειν, εἴσω τὰς χεῖρα ἔχοντα, eiuſmodi eſt, vt dixi. Nec tamen orator non aliquid addidit agendo, ad auditorem ſe conuertens, atque etiam corpore inſurgens. Sic in altero loco: Ἀλλ' ὁ τὴν εὔβοιαν ἐκεῖνος σφετεριζόμενος. Interrogatio autem ad auditores directa, acre quid item habet, vt in iam indicato loco: Ἀλλ' ὁ τὴν Εὔβοιαν ἐκεῖνος σφετεριζόμενος, καὶ κατασκευάζων ἐπιτείχισμα ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν, πότερον ταῦτα ποιῶν ἠδίκει, καὶ ἔλυε τὴν εἰρήνην; ἢ οὔ Ἔλεγχος hic etiam eſt, non ſimplex accuſatio. Conuincit enim Philippum de pacis violatione, atque acriter, vt qui audiant, ſtatim aſſentiantur. Nec interrogare debet orator, niſi conuictus iam ſit aduerſarius, vel perſuaſus auditor, aut ipſa interrogatione nobis aſſentiri cogatur. Ita enim verum erit, quod ait Hermogenes: τὸ κατὰ πεῦσιν σχῆμα ἀναντίρρητόν ἐστι. Si enim hac figura temere quis vtatur, ſe ipſe in fraudem coniicit, aperiens campum contradicendi aliis, γίγνεται δὲ, inquit idem, ἢ περὶ τῶν φύσει ὁμολογουμένων, ἢ περὶ τῶν τῷ λόγῳ προαποδεδειγμένων. καὶ γὰρ τὰ τῷ λόγῳ προαποδεδειγμένα ἴσα τοῖς φύσει ὁμολογουμένοις τῇ δυνάμει ἐστίν. Huic figuræ, prudenter vſurpatæ contradici non poteſt, cum vel his nitatur, quæ ſe ita natura habere nemo nagat, vel iis quæ demonſtrata iam ſunt. Eius idem tres

ſpecies

species facit: ἢ πρὸς τοὺς ἀκούοντας, ἢ πρὸς τοὺς ἀν-
τιλέγοντας, ἢ αὐτοῦ πρὸς ἑαυτὸν τοῦ ῥήτορος. Sed poste-
rioribus duabus relictis, hic de ea agitur, quæ
dirigitur ad auditores. De secunda ad aduer-
sarium, quando ea vti orator debeat, explicat
philosophus, libro de arte dicendi III. Verum
de eadem re quoque Fabium consule lib. IX.
Ἐρώτησιν sequitur ἐπιμονὴ, id est, in eiusdem rei
explicatione inhærere: quod fecit Demosthe-
nes, ἐν τῷ περὶ παραπρεσβείας. Νόσημα γὰρ, ὦ ἄνδρες
Ἀθηναῖοι, δεινὸν ἐμπέπτωκεν εἰς τὴν ἑλλάδα, καὶ χαλε-
πὸν, καὶ πολλῆς τινὸς εὐτυχίας, καὶ τῆς παρ' ὑμῶν ἐπιμε-
λείας δεόμενον. Quod si dixisset, miserum esse sta-
tum Græciæ, comprehendisset eadem omnia:
nec si tenuem characterem sequaris, pluribus
verbis opus erat, sed animos non commouis-
set. Itaq; & hac commoratione in re, & transla-
tionibus satis euidentibus vtitur. Sequitur περὶ
εὐφημισμοῦ, quod definiunt σχῆμα λόγου, καθ' ὃ ἀγα-
θῇ τινὶ ὀνομασίᾳ περιστέλλεται τὸ φαῦλον πρᾶγμα, figu-
ram orationis, qua res inuisa minus odioso no-
mine appellatur, vt μοίρας Latini Parcas dixe-
runt, quæ tamen nemini parcerent. Sic Græci
ἐριννύας quoque εὐμενίδας nominarunt, quasi be-
neuolas, quæ tamen neminem non sceleratorũ
exagitarent, vnde Latinis Furiæ fuerunt dictæ.
M. Tullius cum capitis damnasset C. Licinium
Macrum, ipse mitiore verbo vsus, scripsit ad
Atticum his verbis: cui cum æqui fuissemus:
quasi non ἀκριβοδίκαιος in illum, sed ἐπιεικὴς ex-
stitisset. Idem in Tulliano capite plexis con-
iuratis: vixerunt, inquit ad populum. οὕτω δὲ,

inquit Plutarchus, ῥωμαίων οἱ δυσφημεῖν μὴ βουλόμενοι, τὸ τεθνάναι σημαίνουσιν. Qui autem Victorias, quæ erant ſimulacra aurea ſiue argentea, conflandas tempore neceſſario reipublicæ cenſuit, dixit εὐφήμως; συγχρησόμεθα ταῖς νίκαις εἰς τὸν πόλεμον; non autem, quod δύσφημον erat futurum, κατακόψωμεν τὰς νίκας εἰς τὸν πόλεμον. Sic enim viſus fuiſſet impii conſilii auctor, nec vllo modo ſuperſtitioſum vulgus pertraxiſſet in ſuam ſententiam. Quod ſi cui hæc ratio ad grauitatem facere non videatur; prudentiæ eſſe, nemo, opinor, negabit. Prudentiæ enim in dicendo eſt non plebeiæ, nec ea dicere, quæ obſint cauſſæ, nec eo modo dicere, vt auditores potius te auerſentur, quàm eum virum iudicent, cuius conſilio ſibi vtendum cenſeant. Eſt vero etiam δεινότητος quædã ſpecies, quam forte præceptis non facile oſtenderimus, quòd naturæ munus eſſe videatur. Acria multa ſingularia edidit Demades, paucique eius ſimiles. Eſt autem ea ratio ſimul ἐμφατική, ἀλληγορική καὶ ὑπερβολική, vt cum Demades iudicium fecit de fama, quæ ſparſa falsò fuerat de more Alexandri. Οὐ τέθνηκεν Ἀλέξανδρος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι. ὦζε γὰρ ἂν ἡ οἰκουμένη τοῦ νεκροῦ. Similis huius vox Hyperidis de neceſſario plebiſcito, quę antè relata fuit. Item Leoſthenis: ὅτι ἔοικεν ἡ Μακεδονικὴ δύναμις, ἀπολωλεκυῖα τὸν Ἀλέξανδρον, τῷ κύκλωπι τετυφλωμένῳ. Item de Græcia: Οὐ τὴν ἐπὶ προγόνων τὴν ναύμαχον, ἀλλὰ γραῦν, σανδάλια ὑποδεδεμένην, καὶ πτισάνην ῥοφῶσαν. Idem Demades, referente Athenæo lib. III. dixit, Αἴγιναν λήμην τοῦ Πειραιῶς Σάμον ἀπόρρυγα

τῆς

τῆς πόλεως, ἔαρ τοῦ δήμου τοὺς ἐφήβους, τὸ τεῖχος ἐσθῆτα τῆς πόλεως, τὸν σαλπιγκτὴν κοινὸν Ἀθηναίων ἀλέκτορα. Quorum quædam non eundem genium redolent, si quid video: & est longè difficillimum hoc genere sic vti, vt oratoris locum & dignitatem tuearis.

CAP. LIX.

De compositione grauis notæ.

DICENDVM *est denique de compositione grauis notæ: in qua primum præceptum, vt incisa sint pro membris. Longitudo enim dissoluit vehementiam. Nam quod in paruo magnum videtur, grauius est, vt plumbi massa, fasciculo plumarum. Exemplum est illud Lacedæmoniorum ad Philippum, de quo antè diximus: Dionysius Corinthi. Hoc enim si extendisset: Dionysius pulsus regno mendicat Corinthi, & docet litteras, ferè, potius fuisset narratio pro contumelia. Quin & in aliis natura breuiores erant Lacones. Nam quod breuius est grauius est, & aptius ad imperandum: contrà producere orationem oportet supplices & petentes aliquid. Quare & symbola habent grauitatem, quia sunt similia dictis breuissimis. Etenim ex breuiter dicto coniicere plurima oportet, velut è symbolis, quemadmodum hoc quoque, de quo ante etiam egimus, Stesichori ad Locrenses: Humo vobis cicadæ canent, allegoricè enunciatum multò grauius est, quàm si simpliciter dictum fuisset, arbores vobis exscindentur, vel simplicius: hostes depopulabuntur agros.* Secundo, *ne omnis periodus ab hac nota exterminari videatur, oportet periodos maximè contortas esse. Nam circumductio quiddam graue est: contra solutius, simplicius & signum animi humanioris,*

nioris, quemadmodum omnis illa prisca elocutio: Erant enim prisci simplices. Quapropter in grauitate fugere oportet & mores & numeros, qui prisci seculi speciem habent. Hiusmodi igitur depositiones siue clausulæ membrorum: quibus equidem, quod in me est, præsto sum; dependent maximè ab eo numero, quem in hoc genere probamus. Tertio *vero etiam violentia, siue coacta compositio, ac propterea confragosa efficit quandam grauitatem: graue enim est multis in locis, quòd ægrè profertur, quemadmodum viæ inæquales, in quibus cum molestia procedas.* Quarto. *Contraria contrariis opposita, & similia verba in periodis opposita, fugienda sunt: Faciunt enim tumorem non grauitatē, quin multis in locis pro gruitate frigus. Vt Theopompus in sodales Philippi dicens, grauitatem dissoluit oppositione: Cum homicidæ natura essent, impudici moribus erant. Molißimè dictū apparet in homines flagitiosos & crudeles. In hoc igitur studium inimicum vel inane, vel potius prauū, auditor animaduertens, nulla parte iracundiæ afficitur. Tamen vero etiam ab ipsis rebus cogemur rotundè componere & grauiter, vt Demosthenes contra Aristocratem: Vt enim, si illorum aliquis reus esset, tu hæc non scripsisses: ita cum tu reus agaris; alius non scribet. In multis enim rebus componimus, quod reprehendi non potest, & rectè omnino fieri existimandum est, quando res ipsæ dant sese, seu potius nos ipsos trahunt, quemadmodum, qui per decliues vias currunt, per quas procedere pedetentim non possunt, nisi difficillimè. Oppositio autem ea, quam reprehendimus in Theopompo, neque etiam conuenit in his Demosthenis, quo loco nobilißimus orator vitam præteritam suam cum vita Æschinis comparat, vbi inquit: tu initiabas, ego initiabar: tu docebas litteras, ego ludum frequentabam: tu explode-*

plodebaris, ego sibillabam. Arte enim non benè vti videtur, cum redditionem vsurpat, & ludere potius, quàm grauiter indignari. Qui elegantiorem orationem facere cogitant, hanc similesque figuras venantur, non qui in aduersarium inuehuntur. Simili vitio videtur affinis esse M. Tullii locus, vbi grauissimè accusat Antonium, vt principium & imperatorem belli ciuilis ciuilis, quod gestum fuit inter Cæsarem & Pompeium. Vt igitur, inquit, in seminibus est caussa arborem & stirpium, sic huius luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos viros? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius. Omnia denique quæ postea vidimus, quid autem mali non vidimus? si recte ratiocinabimur, vni accepta referemus Antonio. Vt Helena Troianis, sic iste huic reipublicæ caussa belli, caussa pestis atque exitii fuit. Hactenus Cicero. Comptior autem non iniuria putetur hæc oratio, quàm vt animos ad indignationem commouere valeat. Est similitudo ab initio, est in clausula, cum pœnè in vniuersum ab oratore comparationes remouerint magistri dicendi, & relinquant poëtis, qui vndique expoliendis operibus suis student; vt inuitent auditores ad se discendos. Ad docendum sæpe quoque facit similitudo, vt philosopho etiam conuenire videatur. In secunda quoque similitudine peculiariter notari posit, quod Helenæ mentionem fecit, cuius formæ recordatio non accenderit animos audientium, sed flexerit potius ac delinierit. Sunt item opposita, quibus in nota graui locum non esse hic docemur. Opponuntur enim interfectos, interfecit: desideratis, eripuit: afflicta est, afflixit. Sed hic ea oratio excusari

possit

poßit, ſicut & laudari quædam alia. In vniuerſum tamen tot argumentorum coaceruatio huius loci non videtur fuiſſe. Denique ſi illic Demoſthenes, hic aberrauerit quoque M. Tullius, quod tamen de aliorum iudicio dico, à quibus non diſſentio, niſi quis pro ambobus artis dicendi principibus & plures & meliores rationes proferat. Quinto *etiam grauitatem efficit, in extremo collocare, quod grauißimum eſt; medio enim loco incluſum hebeſcit: cuius exemplum exſtabat apud Antiſthenem. Si namq; quis ordinem mutat in componendo, non videbitur idem dicere, etiam iiſdem verbis vſus, ſed iudicabitur dicere aliquantò lenius. Simile ſit: Propulſaui hominem, cum me adortus eſſet ſtricto gladio. Videberis minus dicere inuerſo ordine: cum ſtricto gladio me adortus eſſet, propulſaui hominem.* Sexto *conuenit grauitati periodorum crebritas, etſi in ceteris notis non probetur: ea enim continuata carmini ſimilis erit, quod continuum dicatur, ac quidem graui carmini. Vt choliambi ſunt, quos vt profundius vulneraret quos peteret, inueniſſe Hipponax Epheſius dicitur, vt ſimplices iambos Archilochus, cum vterque ad maledicendum ſiue ad carpendum calamum exacuerit. Ceterum in celeritate periodorum videndum eſt, vt conciſæ quoq; ſint, videlicet bimembres quædam. Quia ſi multorum membrorum ſint, elegantiam potius parient, non grauitatem. Adeo autem conciſio huic notæ vtilis eſt, vt & reticere multis in locis ſit grauius. Vt in principio orationis pro Cteſiphonte apud Demoſthenem: verum ego. Nolo enim quidquam graue dicere. Propemodum enim, cum tacuerit hic, grauior fuerit, quàm ſi quæcunque diceret. Atque equidem fermè obſcuritas multis in locis grauis eſt. Grauius enim hoc eſt, quod ad ſuſpiciandum & cogitatione*

eruen-

eruendum relinquitur. Contrà quod explanatum est, contemnitur. Septimo, alicubi cacophonia grauitatem efficit, & maximè, si res, de qua agitur eiusmodi prauo sono indigeat: vt in versu Homerico, vbi ad conspectum serpentis cohorruisse Troianos canit: in quo poëta affectauit insuauem sonum, siue dissonum, cum suauis non minus in promptu esset, si eo vti voluisset. Eum versum ea in parte Græco similem sic latinè reddit Terentianus:

Attoniti Troës viso serpente pauitant.

Hoc igitur exemplo spectato, alia etiam similia assequemur; vt cum membrum siue incisum clauditur monosyllabo, quod vitari poterat; si secus tamen fieret, politior fortaßis, sed minus esset grauis oratio. Aliquando etiam, si desinatur in coniunctiones copulatiuas encliticas, etsi præcipitur fugiendam esse huiusmodi terminationem. Verum multis in locis hæc vsui est. Exemplo sit, vbi fugere eam oporteat, leuiter mutatus hic locus M. Tullii in oratore. Neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitii mercatoresq; superarunt. Iam si mutes, vt sit: multi superarunt venalitii mercatoresque, neglecta erit & humilis compositio. Vbi autem locum habeat, sunt exempla apud poëtas, vt hoc, Drymoque Xantoque Lygeaque Phyllodoceque & deinceps: Nesæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque. In his Virgilianis & similibus Homericis magnitudinem efficit terminatio in coniunctione. Efficiat vero aliquando & grauitatem, vt: contra fasque nefasque. Prorsus enim leuor, & quod suauiter peruenit ad aures, elegantis notæ proprium est, non grauis. Hæ autem notæ maximè contrariæ videntur. Octauo. Sanè quoque multis in locis ex ioco admisto grauitas quædam exoritur, quemadmodum

admodum in comœdiis: & omnis ratio Cynica talis est, vt ea Cratetis Thebani, quibus quæ de Creta cecinerat Homerus, mutatis quibus mutandis opus fuit, & ad rem pertinentibus additis, transtulit ad peram siue manticam: in quo carmine describit vitam familiæ Cynicæ, quemadmodum in extrema tenuitate, siue maximis bonis referta sit, siue maximis malis careat, & carpit simul acriter, vt in satyra, stultitiam mortalium, studio voluptatis & cupiditatum se in maximas calamitates præcipitantiū. Tale & hoc Diogenis, principis illius disciplinæ: Qui in Olympia, cum alius tum à præcone victor declararetur, armatus accurrisset; accurrens ipse magna voce, se Olympia vincere, præ cunctis hominibus virtutis præstantia prædicauit. Etenim ridetur simul & admirationi est, & sensim etiam mordet aliquo modo eius occultus sensus. Atq; in vniuersum, vt breuiter dicam, omnis species Cynicæ orationis blandiri simul nonnihil videtur, & mordere. Vtentur autem hoc genere aliquando etiam oratores, & vsi fuerunt, vt Lysias in amatorem vetulæ, cuius aiebat facilius esse dentes numerari, quàm digitos. Demonstrauit enim, vetulam esse grauißimum quiddam & maximè ridiculum. Hoc idem Homerus: Vt in ego extremum comedam. Sed de vtriusque scriptoris loco antè dictum est, vbi de veneribus egimus terribilibus.

Σχόλιον. Superest tertium, de compositione videlicet. De duobus enim ordine diximus. Primúm, incisa sint pro membris: vt Dionysius Corinthi; de quo satis diximus, cum de periodis egimus, & de charactere magnifico. Ibidem quoq; docuimus allegorias facere ad magnificentiam: eædem & ad grauitatem faciunt: quod

quod & ex hoc & ex altero Stesichori videre est, de quo item supra. Σύμβολα enim, siue signa rerum cum dicuntur, fiunt allegoriæ. Secundum, ὅτι δεῖ ἐσφίγχθαι τὰς περιόδους, id est in orbem agi, maximè in extremo, & à priscorum ratione simplici longissimè abire. Exemplum est: ὡμολόγησα τούτοις, ὡς ἂν οἷός τε ὦ, συνερεῖν, Apparet τὸ στρογγύλον, καὶ ἐξ αὐτοῦ τὸ δεινόν. Quod si ita mutes: ὡμολόγησα τούτοις συνερεῖν, ὡς δυνήσομαι, nec erit prior στρογγυλότης, nec δεινότης. Tertium est, violentia compositionis, quòd quæ difficulter pronunciare possumus, sunt instar viarum asperiorum: vt in hoc Demosthenico: Ἐν δὲ τῷ προσγράψαι, μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι ὑμᾶς, τὸ δοῦναι ἡμῖν ἐξεῖναι. Quincto, fugienda sunt ἀντίθετα καὶ παρόμοια. Conueniunt enim magnificæ notæ & venustæ: in hac, quando videlicet adhibentur rei graui, frigus pariunt, vt Theopompea, de quibus & antè. Hic igitur verum est, ὅτι περισσοτεχνία κακοτεχνία γίνεται; ὅπου δ' εὐτεχνία, οὐκ ἂν εἴη περισσοτεχνία. ἐν τῷ γὰρ εὖ, οὐδὲ τὸ ἧττον, οὐδὲ τὸ ἄγαν, ὅπερ καὶ περισσὸν, ὡς ἐκεῖνο τοῦ δέοντος ἐνδεέστερον. Res autem quædam sunt aptæ ad στρογγυλότητα καὶ δεινότητα, vt & rotundè & grauiter dicantur, siue orbe eleganti grauiter includi natura sua videantur. Hanc autem rotundam dictionem, vt admirabilem, dilaudat Halicarnasseus, eiusq; inuentorem suspicatur Lysiam, etsi traditum sit à Theophrasto fuisse Thrasymachum, cum hi oratores æquales fuerint, non dubitat tamen affirmare, ἐν ταύτῃ τῇ στρογγύλῃ λέξει palmam obtinuisse Lysiam. Ex verbis Dionysii pleniorem

rem quoq; huius rei cognitionem hauriemus;
& magis assentiemur Phalereo, quoniam ille
potissimum iudiciis conuenire ostendit, vbi
maximè opus est grauitate, ipsaq; potissimum,
re ita cogente, vsurpatur: Τίς δ᾽ ἐστιν, inquit, ἣν
φημι ἀρετὴν; ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως
ἐκφέρουσα λέξις, οἰκεία πάνυ καὶ ἀναγκαία τοῖς δι-
κανικοῖς, λόγοις, καὶ παντὶ ἀληθεῖ ἀγῶνι. ταύτην ὀλίγοι
μὲν ἐμιμήσαντο· Δημοσθένης δὲ καὶ ὑπερεβάλετο· πλὴν
οὐχ οὕτως εὐτελῶς οὐδὲ ἀφελῶς, ὥσπερ Λυσίας, χρη-
σάμενος αὐτῇ, ἀλλὰ περιέργως καὶ πικρῶς. λεγέσθω
γὰρ ὡς ἐμοὶ φαίνεται. Locus autem Demosthenis,
qui vt nimia arte factus, seu quasi affectatione
artis importunæ deuenustatus, reprehenditur;
hic est, ἐκ τοῦ περὶ στεφάνου, Ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ
δ᾽ ἐφοίτων; ἐτέλεις, ἐγὼ δ᾽ ἐτελούμην; ἐχόρευες, ἐγὼ δ᾽ ἐ-
χορήγουν; ἐγραμμάτευες, ἐγὼ δ᾽ ἐκκλησίαζον; ἐτριτα-
γωνίστεις, ἐγὼ δὲ ἐθεώρουν; ἐξέπιπτες, ἐγὼ δὲ ἐσύριττον; ὑπὲρ
τῶν ἐχθρῶν πεπολίτευσαι πάντα, ἐγὼ δὲ ὑπὲρ τῆς πατρίδος.
Litteras docebas, ego ludum frequentabam:
initiabas, ego initiabar: scriba eras, ego concio-
nabar: tertias partes agebas, ego spectabam:
non placebas, ego exsibillabam: remp. gessisti
pro hostibus, ego pro patria. Perpolita esse hæc
apparet, sed quæsiui tamen apud me, nunquid
pro Demosthene dici posset. Forte hoc, vehe-
menti orationi conueniés, quòd incisa hæc sunt
omnia, & pleraque breuia. Item alterum, quod
oratoris vox, vultus, motus, omnem elegan-
tiam illam aut maximam eius partem, fortè su-
stulerint. Verum ἐπέχω, aliisque permitto, vt iu-
dicent, ecquid in his rationibus insit ponderis.

Quin-

Quincto, quod grauissimum est, in extremo
periodi seu sententiæ collocandum erit, vt fecit
Antisthenes. σχεδὸν ὁ δ᾽ ὀδυνήσει ἄνθρωπος ἐκ φρυγάνων ἀ-
ναστὰς: cuius tamen exempli è media quadam
forte oratione deprompti, explicationem ne-
mo facile protulerit. Sextum, crebritas perio-
dorum, quas in cæteris notis rariores esse opor-
tere ex eo apparet, quod docuimus antè, varie-
tate opus esse, & artem arte contegendam. Sed
hic crebras esse decet, breues modo sint. Ita au-
tem hic conuenit breuitas, vt reticere quoque
passim grauius sit: vt in loco Demosthenis pro
Ctesiphonte. Αλλὸ γὰρ ἐγώ: vel vt hodie in editis li-
bris legitur: Αλλ᾽ ἐμοὶ μὲν. Οὐ βούλομαι δὲ οὐδὲν δυσχερὲς
εἰπεῖν. οὗτος δὲ ἐκ περιουσίας μου κατηγορεῖ. sed in nostris
libris post, εἰπεῖν, subiicitur: ἀρχόμενος τοῦ λόγου:
quod è margine grammatici irrepsisse videri
potest. Scholiastes autem reticentiam notat. Τὸ
σχῆμα, inquit, ἀποσιώπησις; τὸ μὲν ἵνα μὴ βλάσφημα λέ-
γῃ ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου; τὸ δὲ ἵνα μὴ πλείονα τῶν ἀκρατῆ πα-
ρεμβάλλῃ σιωπῆσαι τὴν φύσιν. Sed scholii alteram
partem minus intelligo. Si Phalereũ audimus,
in hac reticentia grauitas est. Quod potest au-
tem ἀποσιώπησις, idem & hoc genere ἀσάφεια. Se-
ptimum est κακοφωνία, præsertim re postulante,
vt Homerus sic maluit: Λ. Μ. Τρῶες δ᾽ ἐρρίγησαν, ὅ-
πως ἴδον αἰόλον ὄφιν, κείμενον ἐν μέσσοισι, Διὸς τέρας Αἰ-
γιόχοιο, quàm, Τρῶες δ᾽ ἐρρίγησαν, ὅπως ὄφιν αἰόλον εἰ-
δον. Quid spectauerit, præter Phalereum, indi-
cat hoc scholion, quod in commentarios suos
Eustathius retulit, fortè ex ipso Phalereo de-
promptum: sententiam enim refert, & his ver-

bis fusius explicat. εἰσὶ δὲ οἱ τὸ ἔμφασίν τινα ἔχειν εἶπον τὸ τοῦ στίχου τοιοῦτον πάθος. Καὶ γὰρ ἐγχωροῦν εἰπεῖν, Τρῶες δ᾽ ἐρρίγησαν, ὅπως ὄφιν αἰόλον εἶδον; ὅμως ὅμηρος τὸν ἑλληνικὸν ἐμφαίνει φόβον, καὶ τὴν συστολὴν, καὶ τὴν εἰς τὸ ταχὺ φεύγειν ῥοπὴν τῇ συστολῇ τοῦ μέτρου καὶ τῷ τάχει τοῦ ἔπους, εἰς βραχείας τελευτῶντος συλλαβάς. Ταχέα μὲν γὰρ εἰς ἐκφώνησιν τὰ βραχέα, φωνήεντα μουσικὸς ἂν εἴποι ἀνὴρ, ἐμβραδύνει δὲ εἰς προφορὰν τὰ μακρά. Præter consuetudinem & leges heroicorum, sex species refert, τῶν χωλῶν ἐπῶν videlicet, Hephæstion: esse enim initio προκέφαλον καὶ ἀκέφαλον; in medio προκοίλιον καὶ λαγαρὸν ἢ σφηκωειδῆ; in fine δολιχόουρον ἢ μακροσκελῆ καὶ μείουρον. Verum Athenæus libro XIV. tantum ἀκέφαλον, λαγαρὸν, & μείουρον nominat, putatque incuria tales excidisse Homero, cum tamen hunc ipsum οὐκ ἀφροντιστὶ, vt ostendisse videmur de plurium etiam iudicio, sed singulari studio μείουρον fecerit. Similia exempla sunt, ἔγραψεν ἂν, pro πάντ᾽ ἂν ἔγραψεν, παρεγένετο οὐχὶ, pro οὐ παρεγένετο. Coniunctionum exempla sunt: οὐκ εὐφήμησε μὲν ἄξιον ὄντα, ἠτίμασε δέ. Item Homerica: Σχοινόντε, σκῶλόντε, quæ supra, nec carere elegantia, & habere magnificum quiddam diximus. In his vero aliquando quis grauitatem sic efficiat: Εγράψε δὲ ὑπὸ τῆς ἀφροσύνης τε, ὑπὸ τῆς ἀσεβείας τε. Item, τὰ ἱερά τε, τὰ ὅσιά τε. Quod postremo dictum fuit de salibus, & hos habere aliquid interdum asperitatis facile est videre. Quod enim aliorum animos vel vulnerat, vel pungit, vel tangit; id habet quandam δεινότητα, vt Diogenis apophthegmata, & pleraque Cynicorum. Tale est carmen

Cratetis

Cratetis Thebani, quo per riſum iocumque ſuæ ſectæ humilitatem antefert ſplendori, voluptatibus, diuitiis, & honoribus circumfluentium. Id autem quia paucorum verſuum eſt, adſcribam ex Laërtio:

Πήρη τις πόλις ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι τύφῳ,
Καλὴ καὶ πίειρα, περίρρυτος, οὐδὲν ἔχουσα,
Εἰς ἣν οὔτε τις εἰσπλεῖ ἀνὴρ μωρὸς παράσιτος,
Οὔτε λίχνος πόρνης ἐπαγαλλόμενος πυγῇσιν,
Ἀλλὰ θύμον καὶ σκόρδα φέρει, καὶ σῦκα, καὶ ἄρτους,
Ἐξ ὧν οὐ πολεμοῦσι πρὸς ἀλλήλους περὶ τούτων,
Οὐχ ὅπλα κέκτηνται περὶ κέρματος, οὐ περὶ δόξης.

Habent quoque hæc ſuam venuſtatem ex parodia: notus enim eſt locus Odyſſeæ: Κρήτη τις πόλις ἐστὶ μέσῳ ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ.

CAP. LX.

De figurato in oratione.

POSTREMVM *eſt, vt dicamus de figurato in oratione, vt appellatur, quando aliud dicitur, quàm intelligitur, ſiue minus dicitur quàm intelligi volumus, ſiue tectè dicitur, quod diſertè intelligi velimus, & intelligi non magno negotio poſſit. Figuratum autem, quaſi dicas veſtitum ſiue palliatum. Hoc genus illius ætatis oratores ridiculè tractabant, cum emphaſin quandam ignobilem ſimul & veluti res in memoriam reuocantem adhiberent: non enim hic vſus eſt, & hoc figura talis orationis effici non debebat. Ipſa enim obtinemus, vt dicamus, quæ nos deceant, & quæ tutò dicere poſſimus. Nam cum ea vtimur, alterutrum eorum agimus: quorum illud boni viri, vt nihil fœdum, nihil maledicum, nihil*

denique se indignum dicat: alterutrum prudentis est, ne se, vbi nihil proficiat in periculum præcipitet. Igitur vtrunque consideremus: ac prius de decoro, quale est hoc Platonis, cum Aristippum & Cleombrotum, ipsos quoque auditores Socratis, contumeliis, vt digni videbantur, vexare vellet, quod in Ægina cuticulam curarent, & coniecto in vincula magistro Socrate, pluribus diebus non nauigarent ad sodales & doctorem, quamquam non aberant Athenis ne ducenta quidem stadia. Hæc omnia apertè non dixit. Nam talis oratio fuisset contumelia, indigna philosopho & in vniuersum viro bono. Sed dixit, vt se dignum erat. Interrogatus enim ab Echecrate Phædon de iis, qui adfuissent Socrati, omnes recensuit ordine. Præterea vero interrogatus, nunquid & Aristippus & Cleombrotus adfuissent: non aderant, *inquit.* Erant enim in Ægina. *Omnia ante dicta indicat his verbis:* In Ægina erat. *Et videtur multò grauior oratio, cum res ipsa ostendat grauitatem, non qui dicit. Atq; ita igitur Aristippum, eiusque sodalem, quibus fortasse contumeliam dicere periculo vacaret, tamen figuratè contumeliis vexauit Plato. Sæpe autem, cum vel ad tyrannum, vel ad hominem alioqui violentum verba facimus, eiq; exprobare aliquid prorsus volumus, hac tota figura necessariò nobis opus est, declinandi discriminis gratia: vt Demetrius Phalereus in Craterum Macedonem in aurea sella sedentem loco editiore, & indutum chlamyde purpurea, & superbè legationes Græcorum accipientem, figura vsus inquit, cum illum notaret:* Etiam nos olim accepimus legationem obeuntes & hosce & Craterum hunc. *In hoc enim demonstratiuo.* Hunc, *apparet omnis Crateri superbia, notata figuratè. Eiusdem quoq; formæ est hoc*

Platonis

Platonis ad Dionysium qui mentitus fuerat & negauerat: Ego tibi, Plato, nihil promisi. Tu certè per Deos immortales. *Nam & conuictus fuit mendacii, & habet hæc oratio figuram aliquam amplam & vacuam à periculo. Vtrumq́; fuerat Philosopho indignum, & humili animo tacere, ferentem se mendacii argui, & sic caussam dicere, vt se in discrimen præcipitaret. Sæpe etiam ancipites sunt: quibus, si quis esse similis velit & dubias vituperationes fingere, exemplo erit Æschinis Socratici liber de Telauge. Omnis enim de Telauge narratio dubitationem adfert, sit ne admiratio siue irrisio. Cum enim refert ipsum fulloni ad eluendum pallium in dies singulos semiobulū pendere, cingi solitum corio, calceamenta item habere è sparto, materia admodum vili atq; insuper putrida, non magis hominem auarum & sordidum videtur notare, quàm laudare virum magno animo præditum, contentum vitæ necessariis, & contemptorem deniq; deliciarum & voluptatum. Est autem ambigua huiusmodi forma, ac sanè etiamsi ironia non sit, habet tamen quandam ironiæ speciem. Poßit autem quis etiam alio modo hæc figura inuoluere, vt in hunc modum. Cum dynastæ & domini non æquo animo audiant sua peccata, multoq; minus, quàm priuatus quispiam, si iis velimus suadere, ne peccent, non recta via id dicemus, sed siue alios quosdam vituperabimus, qui similia perpetrauerint: vt ad Dionysium tyrannum contra Phalaridem tyrannum dicemus, & eius crudelitatem: siue aliquos laudabimus Dionysio, qui contraria fecerint, vt Gelonem & Hieronem, qui patres Siciliæ & magistri visi fuerint. Etenim qui audit, & eruditur simul, nec tamen contumelia petitur, & æmulatur Gelonem, quem laudari intelligit, similemq; laudem & ipse appetit. Multa autem eius generis*

sunt apud tyrannos: vt Philippus, quia altero oculo carebat, quem ad Methonen amiserat, irascebatur, si quis se præsente Cyclopem nominasset, vel omnino oculum. Hermeas item, Atarnei dominus, etsi, vt prædicatur, mitis erat, non æquo animo tulit, si quis cultellum, aut sectionem, siue exsectionem nominaret, quod eunuchus esset. Hæc autem dixi, vt ostenderem maximè mores & naturam potentum: quæ maximè eget oratione minus lubrica & experte periculi, quæ appellatur figurata. Ac sanè sæpe etiam populi magni & potentes egent huiusmodi forma orationis, quemadmodum & tyranni: veluti Atheniensium populus, qui imperium Græciæ habebat & assentatores alebat, & Cleones & Cleophontes. Assentari autem turpe est: obiurgare periculosum. Optimum igitur, quod inter hæc interiectum est, id est, figuratum: quod non nisi singulari prudentia inuenitur, & magno artificio elaboratur. Est vero interdum vna ratio, vt illum ipsum laudemus, qui peccat, non ob ea, in quibus peccat, sed in quibus non peccauit. Fit enim, in quo vt plurimum peccemus, vt in eo aliquando nos rectè gesserimus. Vt ira commotum sic tractabimus, quod heri laudabatur, quòd delinquente aliquo mitis fuit cognitus, idq́ue ciues ita admiratos, vt eius virtutis æmuli viderentur. Magni autem momenti est hæc ratio. Vnusquisq́ue enim seipsum imitatur maximè, & laudem laudi annectere conatur: immo vnam æquabilem laudem facere, quam nolit contrario facto à se contaminatã videri. Atq́ue hoc caussæ est, quamobrem præstans in quocunq́ue genere artifex nullum opus rude aut vulgare faciat, ne quid suæ laudis amittat: atq́ue ideo fortunarum potius iacturam faciunt. Nihil enim habent sua illa gloria antiquius, nedum alicuius emolumenti priorem rationem ducant. In vniuersum au-

tem,

tem, vt ex eadem cera alius bouem, equum alius: ita etiam eandem rem siue sententiam alii aliter explicant: vt aliquis enuncians & prædicans inquit: homines pecuniam relinquunt filiis, verum scientiam non simul relinquunt, qua illis simul relictis vtantur. Hæc autem orationis forma Aristippea dicitur. Alius idem more præcipientis edit, cuiusmodi sunt Xenophontis multa; vt hoc: Oportet non solum pecunias relinquere suis filiis, sed etiam scientiam, qua vtantur illis. Prior modus humilior est, siue exilis, cōuenitq; narrationi vel querelæ: alter sublimior, habens aliquid magnificum aut graue, ac debere videtur ab auctoritate proficisci. Superest tertia quædam forma, propriè Socratica dicta, quam maximè videntur æmulati Æschines & Plato. Hæc transmutare consueuit rem antè dictam in interrogationem. Exempli gratia. Quantam tibi ô puer pecuniam reliquit pater? num magnam, & quam non facilè numeres? Magnam ô Socrates. Nunquid igitur scientiam tibi reliquit, qua vti ipsa possit? Simul enim puerum antè in dubitationem coniecit, quam ille animaduerteret, ipsique in mentem redegit, quàm parum siue nihildum intelligeret: deniq; eum ad discendum impulit: atq; hæc omnia & moratè & concinnè: neq; hoc, quod vulgo fertur à Scythis ductum. Probati autem tùm fuerunt maximè huiusmodi sermones, tùm etiam primum inuecti: vel potius stupore impleuerunt omnes, quòd in iis, & honor haberetur ei, ad quem instituti essent, & appareret euidentia, & erudiretur alius cum loquentis auctoritate. De figmentis autem orationis & rationibus figurandi hæc sufficiant.

Σχόλιον. In quibus est siue sententiæ siue dictionis figura, omnia dicuntur ἐσχηματισμένα. Verum hoc loco agimus περί τινος ἐσχηματισμένου

ἀνωνύμου; ſiue dicamus eſſe ſpeciem aliquam δεινότητ⊙, quod cur negem? ſiue præceptum ciuilis prudentiæ, quod affirmare non dubitarim: teque NICOLÆ CAASI, (patere, vt hic te quoque alloquar) hac in re mihi facile aſſenſurum, puto: ſed volo tamen, vt de meo iudicio, vt de omni hac mea opera, liberè iudices. Alucinari enim neq; in ceteris, neq; in hoc potes, qui ingenuas artes non ſolum à pueritia didiceris, ſed etiam cum omnem rationem vitæ ſtudioſè ſemper conſideraueris, tum reipublicæ negotia fideliter geras, à quibus tibi neq; vnum diem liceat, neq; abeſſe, ſi liceat, velis. Tanto amore proſequeris patriam, vt principe primi ordinis dignum eſſe intelligis. Sed non digrediar hic in prædicationem reconditæ doctrinæ tuæ, eloquentiæ ſingularis, & maximarum virtutum. Cum enim ab aſſentatione prorſus abhorream, tum eiuſdem quoque ſuſpicionem à me remotam volo. Quare, quæ de te, ſi non luculentè, ſed verè poſſem dicere, ea ad te ſcribens relinquam, & commodiori loco reſeruabo. Sed ad inſtitutam diſputationem redeo: eam ego magis πολιτικὴν eſſe cenſeo, quàm ῥητορικὴν, cum in ipſa hoc ſit potiſſimum, quemadmodum potentiores, vel coràm, vel per litteras ſine periculo compellemus, ita vt interim boni viri officium non deſeramus. Hæc magnæ prudentiæ ſiue artis oratio, cum verbis aliqua tantum velit exprimere, rem autem omnem ab eo, quîcum loquimur, penitus intelligi; κατ' ἐξοχὴν, ni fallor, appellatur ἐσχηματισμένη, vt profecto

fecto

fecto etiam est suo modo figura. Ea autem vtimur εὐπρεπείας, καὶ ἀσφαλείας χάριν. Vnicuique enim salus sua cara est, & curæ esse debet, quam παρρησίᾳ stulti, (quid refert quàm vera dicendo?) in discrimen temerè coniiciunt, in quos τὸ εὐελπίδειον rectè dicitur; ὅτι ἀχαλίνων στομάτων τὸ τέλος δυστυχία. Hoc ita est inter æquales; quid igitur, cui res sit cum potentioribus? Quod si etiam humanitatem colimus, vti plærique profitemur, ita etiam loquetur vnusquisque, quemadmodum se deceat. Excludantur ab omni cõsuetudine βωμολοχίαι, λοιδορίαι, βοαί, omnis denique sermonum παρρησία, quæ vel moribus officiat, vel vllam partem humanæ societatis turbet, aut molestia afficiat. Τοιγαροῦν καὶ ὅποι ἀκίνδυνον εἴη, διὰ εὐπρέπειαν τούτῳ τῷ ἐσχηματισμένῳ χρησόμεθα, ἐὰν καλοικαγαθοὶ ἄνδρες καὶ χαρίεντες εἶναί τε καὶ λέγεσθαι βουλώμεθα, μάλιστα δὲ ὑπὸ μουσῶν πεπαιδευμένοι. Εὖ γὰρ εἴρηται ὑπὸ Ἀριστοφάνους; Ἐλέγχ᾽, ἐλέγχου λοιδορεῖσθαι δ᾽ οὐ πρέπει Ἄνδρας ποιητάς, ὥσπερ ἀρτοπωλίδας. ἐξέστω δὲ τοῖς σοφισταῖς πᾶν ὅ, τι βούλοιντο λέγειν. αὐτοῖς γὰρ μόνον τῆς τε φαινομένης νίκης, καὶ ψευδοῦς δόξης, καὶ προσέτι χρημάτων, τῆς δὲ ἀληθείας, καὶ τῆς εὐπρεπείας, καὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, οἷά τε τοῦ ὄντος καλοῦ μακρὰν οὖσιν, οὐδὲν μέλει. Indignum autem est philosopho, etiam lacessito, contumeliam dicere; sed quem velit refutare, ratione id faciat & argumentis; quem etiam vituperandum censeat, in eum non impotenter inuehi barbaricum in morem. Quod qui seruet; neque modestiæ leges transierit, neq; veritatem deseruerit, neq; non malos mores reprehende-

henderit, οὐκ ἄνευ δεινότητος, tum ne cui iniuria facta videatur, tum, vt emendentur alii, atque id quod vituperatur & oderint & fugiant. Exemplo est Plato in Phædone, vbi non leuiter sanè, sed arte tamen accusantur Aristippus & Cleombrotus, non magis vitæ intemperantis, quàm deserti studii sapientiæ & magistri. Sic enim quærit è Phædone Echecrates: Ἔτυχον δὲ, ὦ φαίδων, τίνες παραγινόμενοι; φαίδ. Οὗτός τε δὴ ὁ Ἀπολλόδωρος τῶν ἐπιχωρίων παρῆν, καὶ Κριτόβουλος, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Κρίτων· καὶ ἔτι Ἑρμογένης, καὶ Αἰσχίνης, καὶ Ἀντισθένης. ἦν δὲ καὶ Κτήσιππος ὁ Παιανιεὺς, καὶ Μενέξενος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν ἐπιχωρίων· Πλάτων δὲ (οἶμαι) ἠσθένει. ΕΧ. Ξένοι δέ τινες παρῆσαν; φαί. Ναί. Σιμμίας τέ γε ὁ Θηβαῖος, καὶ Κέβης, καὶ Φαιδώνδης· καὶ Μεγαρόθεν, Εὐκλείδης τε καὶ Τερψίων. ἐχ. τί δὲ, Ἀρίστιππος καὶ Κλεόμβροτος παρεγένοντο; Φαίδ. Οὐ δῆτα, ἐν Αἰγίνῃ γὰρ ἐλέγοντο εἶναι. Ἐχ. Ἄλλος δέ τις παρῆν; Φαίδ. Σχεδόν τι οἶμαι τούτους παραγενέσθαι. Qui ita se gerat aduersus æquales, cum contentio aliqua incidit; (Nam & boni offendi solent iniuriis & iniquitate aliarum rerum, & ipsi offendunt alios, vbi hoc officii ratio postulare videbitur, in emendatione videlicet morum & tuenda veritate) multo ille magis decorum sibi seruandum existitimabit, quoties cum potentioribus agit, vbi consuetudo, vbi orationis libertas non vacat periculo. Securius ille viuit, qui est, quemadmodum in veteri versu dicitur, μέσος ἐν τῇ πόλει, & non nisi exemptus è plebe iucunda sui similium consuetudine perfruitur, nec obseruandis potentioribus, aut volun-

voluntate ſua, aut neceſſitate aliqua occupatur. Sed cum non nobis omnem fortunam & vitæ conditionem arbitratu noſtro fabricare poſſimus, illaq; interdum in aulas regum nolentes volentes trudat; primùm eſt, quod cum in omni vita, tum hic valere debet maximè, vt innocentia & officio ſalutem noſtram tueamur: alterum, vt cum recta faciamus, non recta ſolum dicamus, ſed in hoc ipſo quoq; nos ita cautè geramus, vt noſtra oratio neq; nos in diſcrimen coniiciat, & idonea ſit, ad id perſuadendum, quod rectum atq; ex re eſſe ſtatuimus. Nam qui verbis ſuis ſe nihil profecturos videant; tacere æquius eſt, niſi eos loqui officii ratio poſtulet. Qui ſecus faciant, & ſuperiores irritent, vt animo ſuo morem gerant; pænas intemperantis linguæ daturos, nihil mirum. Exempla & vetera & recentia, in promptu ſunt. Hiſtoriæ loquuntur, quid Caliſtheni, quid Anaxarcho, quid Sotadi euenerit. Caliſthenus cum Alexandrum reprehendiſſet liberius, periit ſiue laqueo, ſiue in vinculis. Itaq; pronunciauit de eo verè quoq; Ariſtoteles: ὅτι δυνατὸς μὲν ἦν ὁ μέγας, νοῦν δ' οὐκ εἶχεν. Anaxarchus autem cum cænaret apud Alexandrum, & Alexander quæreret, vt cæna placeret: ὦ βασιλεῦ, inquit, πάντα πολυτελῶς, ἔδει δὲ λοιπὸν κεφαλὴν σατράπου τινὸς παρατεθεῖσθαι, Nicocreontem innuens. Non oblitus fuit huius contumeliæ Nicocreon, cumque mortuo rege, Anaxarchus tempeſtate reiectus in Cyprum appuliſſet; captum piſtillis in mortario contundendũ iuſſit, quando tamen ille nõ

proſſus

prorſus indignam philoſopho vocem edidiſſe ſcribitur: πτίσσε Ἀναξάρχου θύλακον· τὸν Ἀνάξαρχον δ' οὐ πλήττεις. Sotades autem Maronites Alexandrię intempeſtiua dicacitate vſus fuit in Lyſimachũ, & alios reges alibi, nec pepercit Ptolemæo Philadelpho, in quem iecerat hoc quoq; ſcomma, quod duxiſſet ſororem Arſinoën: Εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλίαν τὸ κέντρον ὠθεῖς. Cum igitur Alexãdria nauigans, ſe fuga periculum auertiſſe putaret, intercepit ipſum Patroclus, Alexandri dux in Cauno inſula, cõiectumq; in lebetem plumbeum in mare pręcipitem dedit, vt ex Hegeſandri cõmentariis Athenæus refert libro δειπνοσοφ. XIV. Cæterum Phalerei vox, ſed ἐσχηματισμένη, qua Craterum tetigit, hæc eſt: ὑπεδεξάμεθά ποτε πρεσβεύοντας ἡμεῖς τούς δε, καὶ Κρατερὸν τοῦτον. Platonis item verba, quibus Dionyſium refutauit, ſua ipſe refert in epiſtola ad Dionis propinquos; σοὶ δ' ἔφη (ὁ Διονύσιος) ἐγὼ οὔτε τι σμικρὸν, οὔτε μέγα ὡμολόγησα. νὴ τοὺς θεοὺς, ἦν δ' ἐγὼ· σύγε ταῦτα, ἃ σου νῦν οὗτος δεῖται, μὴ ποιεῖν: atque hæc locutus, auertit ſe à Dionyſio, & abiit. Ita conſuluit ſimul dignitati ſuæ, nec imprudenti oratione aut ἀκαίρῳ παῤῥησίᾳ ſibi periculum creauit. Solent vero etiam ſapientes interdum vti oratione ancipite, de qua non facile ſtatuas, quid laudetur, aut vituperetur. Eius exemplum fuit Æſchinis Telauges, quod magis appareret, ſi ex ipſius dialogis vel ille exſtaret: verum omnes interciderunt: quorum hoſce ſeptem præcipuos nominat Diogenes Laërtius: Miltiadem, Calliam, Axiochum, Aſpaſiam, Alcibiadem, Telaugem,

gem, Rhinonem. De Telauge hæc ſunt apud Athenæum, V. δειπνοσοφιστῶν; Αἰσχίνης, inquit, ὁ Σωκρατικὸς ἐν μὲν τῷ Τηλαύγει Κριτόβουλον τὸν Κρίτωνος ἐπ' ἀμαθίᾳ καὶ ῥυπαρότητι βίου κωμῳδεῖ; τὸν δὲ Τηλαύγην αὐτὸν ἱματίου μὲν φορήσεως καθ' ἡμέραν ἡμιοβόλιον κναφεῖ πλουσίῳ τελοῦντα μισθόν, κῳδίᾳ δὲ ἐζωσμένον, καὶ τὰ ὑποδήματα σπαρτίοις συνημμένον σαπροῖς; καὶ Τελέσαντα τὸν ῥήτορα οὐ μετρίως διαγελᾷ. Quod autem Phalereus ψόγους εἰκαιοψόγους nominat, habet aliquid ambiguitatis: quod fortè poſterius nomen alibi non reperietur. Tamen ex eo, quod procedit, colligi poteſt ſignificari incertas vituperationes, aut minus veras: ac venit aliquando mihi in mentem, legi poſſe, καὶ ψόγους εἰ καὶ ἀψόγους εἶναι θέλοι τις: de quo tamen nihil affirmatim. Εἰκαῖον interpretantur, μάταιον, ἀργὸν, ἀνωφελὲς, μωρὸν τὸ γὰρ εἰκῆ, ὡς ἔτυχεν· καὶ εἰκαιορρημονεῖν, μάταια λέγειν. Εἰκάζειν vero eſt comparare, vel imagine vti, vel coniecturam facere: ſi quid hoc quoque ad illius vocis declarationem adferat. In cohortandis autem tyrannis, vel alios tyrannos vituperabimus, vel bonos principes laudabimus, vel quod ab ipſis rectè adminiſtratum fuerit, itidem laudabimus, vt quemadmodum crudelium exempla deteſtentur, ita etiam & exempla bonorum ſectentur, & ſua imitentur. Non enim ſolum ſe imitatur quiſque libentiſſimè, ſed etiam ſuperare enititur ſtudioſè: quando id quiſque ſibi turpe putat, ſi à ſe diſcedat. Suos autem mores & animi vitia tangi nolunt potentes, ac ne quidem corporis ea vel verbo notari, quæ vel à natura habeant,

beant, vel caſu acceperint. Ludibrio enim ſe haberi ſuſpicantur, atque omnem hanc quam ſomnient etiam eſſe iniuriam, acerrimè perſequuntur. Sed omnis hæc doctrina paucis paginis explicari non poteſt. Vſui autem eſt non minus in amplis ciuitatibus hæc ratio. Nam populus quoque facile irritatur, eiuſq; furor difficulter compeſcitur: & accendunt plebem turbulentæ conciones, quoq; aduerſum optimè meritos: cuius rei exemplis hiſtoriæ abundāt. Turbant enim remp. δημαγωγοὶ, populi adulatores, populo grati: cuiuſmodi Cleonem fuiſſe accepimus & Cleophontem. Cleon ex hiſtoria veteri Græca notus eſt, & ex Ariſtophanis comœdiis: maximè exagitatur ἱππεῦσιν: vbi cum piſcatoribus comparatur, qui aqua turbata, anguillas capiunt. Sic enim ibi ἀλλαντοπώλης: Ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι, πέπονθας: Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν: Ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν, Αἴρουσι: καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς. Cleophontem, ipſum quoq; ducem Athenienſium, ſed Thracem patria, βατράχοις exagitat idem comicus, eius eloquentiam cùm garritu hirundinis comparans: Οὗ σοφίαι μυρίαι κάθηνται, inquit, φιλοτιμότεραι Κλεοφῶντος, ἐφ' οὗ δὴ χείλεσιν ἀμφιλάλοις Δεινὸν ἐπιβρέμεται Θρῃκία χελιδὼν, Ἐπὶ βάρβαρον ἑζομένη πέταλον, Κελαδεῖ δ' ἐπίκλαυτον ἀηδόνιον νόμον: quod loquacitate ſua malum arceſſat ciuitati. Plato etiam comicus comœdiam huius nominis edidit, qua eum, vt vtar ſcholiaſtæ verbis, κωμῳδεῖ, ὡς ξένον, καὶ ἀμαθῆ, καὶ φλύαρον, καὶ δυσγενῆ, Θρᾷκα γὰρ αὐτὸν ἔλεγον, αὐτεποιεῖτο

ποιεῖτο δὲ τῶν περιοπτείων τῆς πόλεως. Cum autem oratione nihil ſit flexibilius, vt quam inſtar ceræ eſſe dicere poſſimus, ipſaq; ab homine ingenioſo, præceptis erudito, & aliquo vſu prædito, in varias formas agi nullo negotio poſſit; non parum tamen refert, qua forma, quo loco potiſſimum vtamur. Poſſumus enim eadem ἀποφαντικῶς ἢ διδακτικῶς ἢ κατηγορικῶς enunciare, vel ὑποθετικῶς ἢ προστακτικῶς vel ἐρωτηματικῶς ἢ τρόπῳ διαλόγου; quarum rationum prima Ariſtippus, ſecunda Xenophon; tertia Æſchines & Plato potiſſimum vſi fuerunt. Alia autem forma alio loco commodior eſt: ſed palmam videtur obtinere Socratica, in qua eſt artis, comitatis, humanitatis καὶ πειθοῦς plurimum. Qui eiuſmodi orationem non ferat, nullam omnium ferat. In quibus eſt aliquid humanitatis, accipiunt, quæ cum beneuolentia dici intelligant. Quare M. Tullius ad Pomponium rectè: Quod me admones, inquit, tu vero etiam ſi reprehenderes, non modo facile paterer, ſed etiam lætarer: quippe cum in reprehenſione eſt prudentia cum εὐμενείᾳ. Contra σκυθικὴ ῥῆσις non æquo animo accipitur, quippe in qua appareat faſtus, & alii videantur deſpici. Quia verò Socraticus modus excellit, iccirco ἐξέπληξαν initio τῷ μιμητικῷ, τῷ ἐναργεῖ, καὶ τῷ μετὰ μεγαλοφροσύνης νουθετικῷ: obſeruantia eorum, quibuſdam agitur, (ſic enim interpretor, cum in altero ſit τὸ καταφρονητικόν) & euidentia, & dignitate conſulentis.

Cap.

CAP. LXI.

De vitio notæ graui propinquo.

SED vt ad superiora quædam reuertamur, leuor in compositione, quali imprimis vsi sunt, qui è disciplina Socratis exiere, qui in vniuersum vitandam censuerunt vocalium collisionem, non admodum accommodatus est grauitati. Sunt exempla apud Demosthenem, quæ vbi transmutaueris & colligaueris, non parum grauitatis exemeris, siquidem multis in locis sonora illa collisio forsan erit grauior. Namq́ quod ipsum neglectum est, & veluti natiuum, grauitatem aliquam repræsentabit, maximè si nos iratos aut iniuria affectos ostendamus. Cura autem in leuore, concinnaq́ structura posita, non irascentis, sed ludentis est, & eum decet, qui in hoc totus est, vt quàm ornatißima proponat, laudem ex iis dicendi aucupans. Ac quemadmodum figura, quæ dissolutum dicitur, grauitatem facit, vt antè dictum est, ita eam quoque faciet in vniuersum dissoluta compositio. Indicio huius rei est & Hipponactis consilium, qui cum inimicos contumeliis vexare in animo haberet, confregit versum, & claudum pro recto fecit, quodque careret iusto numero, id est grauitati & contumeliæ consentaneum. Quod enim elegantibus numeris inclusum, & auribus suaue, id magis laudationibus, quàm vituperationibus conueniat. Atq́ hæc dicta sint de collisione.

Explicata nota graui, nihil ex iis, quæ tractanda suscepimus, reliquum est, præter vnam notæ graui contrariam notam siue propinquam: propinqua enim est graui notæ, vt consentaneum est, vitiosa aliqua. Et ipsa nascitur in

tur in tribus, vt ceteræ. Primùm in rebus, si quis res turpes & obscœnas apertè dixerit, quemadmodum qui Timandrum accusabat, & peluim, & numulos, & lectulos, & multam huiusmodi meretricum supellectilem, à qua etiam aures abhorrent, effudit in foro. Eiusmodi multa scurræ & impuri homines in ore habent; nec ab iis tantum elegantes poetæ sed in fœdas quoque ipsi voluptates demersi, prorsus abstinuerunt. Compositio porro videtur inuenusta, si diuulsæ similis fuerit, quemadmodum qui dixit: si autem sic se habuerit hoc vel hoc, interficere. Talem orationem Cicero in oratore dissipatam vocat, quæ non rectè numeris contineatur. Item, si membra nullam inter se connexionem habeant, quam cuiusmodi esse oporteat, initio libelli traditum est; sed veluti disrupta & disiecta sit. Item, periodi continentes, & longæ, & intercludentes spiritus dicentium, non solum satietatis plena res est, sed etiam minimè suauis. Deniq; verba sæpe res venustas inuenustas faciunt, quemadmodum Clitarchus de tenthredone inquit. Bestiola api similis, depascitur montana loca, inuolat in cauas quercus; ita loquitur, ac si de boue fero, aut apro Erymanthio, non de quodam genere apis loqueretur. Factum est igitur, vt oratio simul & inuenusta fieret, & frigida. Hæc ambo enim quodammodo sibi ipsis vicina sunt.

Σχόλιον. Non est, vt multis verbis denuo doceamus, vbi leuor orationis locum habeat, vbi minus: certè in acri nota nulla eius vis est, sed valent confragosa, cuiusmodi est hoc Demosthenis ex oratione pro Ctesiphonte: τοῦ γὰρ φωκικοῦ συστάντος πολέμου, οὐ γὰρ ἔγωγε ἐπολιτευόμην πω τότε. Hoc si sic mutes: οὐ γὰρ ἐπολιτευόμην ἔγωγε τότε; sono fracto aliquid grauitatis exemeris. Hoc facile

 animad-

animaduertat, qui Græca confiderans, aurium etiam iudicium adhibeat. Græca autem perpetuò in scholiis adduxi, quo magis consulerem iuuentuti: præsertim τοῖς φιλέλλησιν. Exempla enim neq; Latinè potui reddere omnia: neq; ita commodè, quæ reddidi, vt ipse mihi satisfacerem, nedum aliis, vel ipsi rei. Itaque addidi scholia, vt minus desiderare studiosus artis dicendi possit in hac parte, quæ elocutionem spectat: nec dubito, quin ab eo, qui primus huic libro opem tulit, mea opera sim proximus: licet aliquo tandem interuallo proximus. In hoc equidem laboraui, vt ab aliis accepta, & breuiter, & perspicuè comprehéderem, & ipse quoq; meam, nec aspernandam symbolam conferrem. Ceterum in hac nota non valet Isocratea λέξις. οὐ γὰρ, vt indicat Halicarnasseus, τὴν ζωτικὴν ἐπιδείκνυται τὴν φυσικὴν, καὶ ἀφελῆ, καὶ ἐναγώνιον, ὥσπερ ἡ Λυσίου. Hic autem requiritur τὸ ἀφρόντιστον καὶ τὸ ὥσπερ αὐτοφυὲς, sed hæc aliquoties antè attigimus, neq; negligenter tractauimus. Superest graui contrarius character, inuenustus videlicet, euersor grauitatis. Est τὸ ἄχαρι in rebus, si turpia, fœda, spurca, obscena diserte commemores. Talia profectò honestorum & elegantium animi auersantur, aures non ferunt. Qui igitur ea narrat, auditorem à se & à re auertit. Deinde compositio est inuenusta, quæ dissipata, nec quidquam habet numerosum: vt οὕτωσὶ δ᾽ ἔχον τὸ καὶ τὸ, κτεῖναι. Item, in qua non sit iusta membrorum conglutinatio: ipsaq; sint, veluti confracta vel disiecta. Item, si sint per-

petui ambitus, & longi, qui ſuffocent dicentes. Quod ad verba, quæ non conueniant, è ſuperioribus obſcurum eſſe non poteſt. Vt autem his nimis lecta & leuia officiant, ita quoque in venuſtarum rerum explicatione τὸ ἄχαρι inducant, & verba & compoſitio affectatæ venuſtatis, aut magnificæ. Reprehenditur igitur Clitarchus, qui περὶ τενθρηδόνος ſic ſcripſerit: Κατανέμεται δὲ τὴν ὀρεινήν, εἰσίπταται δὲ εἰς τὰς κοίλας δρῦς: inuenuſtè & frigidè. Itaque cuilibet rei conuenientem dictionem & compoſitionem tribuere oportet, ne de paſſerculo vt de aquila, nec de aquila, vt de paſſerculo loquaris. Quod vero non ad hoc inſtitutum, ſed ad naturam tenthredonis facit; beſtiola eſt ἐξ ἐννέα ζῴων μελιτοποιῶν: de quibus de hiſtoria animalium Ariſtoteles libro nono.

FINIS.

INDEX CAPITVM
IN LIBRO DE MAGISTRO DICENDI.

IN LIBRO DE ELOCVtione.

FINIS.

CO

ET

DEPR

ARI

Quibus o

tractantur

tate,

Denuò

Accessit

Cu

Impen

Biblioteka Jagiellońska
stdr0029821

Jou

Politica

Ioan Caselii